Mille Fabulae et Una: 1001 Aesop's Fables in Latin

by Laura Gibbs

This is PDF version 1.01, dated 18 August 2010.

Published by

Lulu Publishers

860 Aviation Parkway

Morrisville, NC 27560

www.lulu.com

© 2010 Laura Gibbs. All rights reserved. Please note that the texts of the fables themselves are in the public domain and may be freely reprinted, modified and remixed in any way. What is copyrighted here is the organization of the fables and the accompanying notes and commentary.

Free copies of this book in PDF format are available for download at **BestLatin.net**.

BEFORE YOU BEGIN..

Here are some important things you need to know:

1. This is a book for reading and enjoying Aesop's fables in Latin. So, the fables come first, and they are then followed by the notes and source information, beginning on p. 323.

2. Free PDF versions of this book can be downloaded from the *Bestiaria Latina* website, **BestLatin.net**. See p. 436 for the many advantages of having a PDF copy of the book. Printed copies are available from Lulu.com; for additional information about book availability, visit BestLatin.net.

3. The fables are arranged by the main character, starting with animals, followed by birds, fish, reptiles, and insects, then plants, followed by animated things, then gods and goddesses, and finally stories about humans. For more details, see the *Fable Listing* on p. 435.

4. Some fables have an explicit moral added at the end of the fable, and some do not. For a discussion of the role of morals in the Aesopic fable tradition, see p. 418.

5. Looking for a specific fable? You can find the indexes (source, keyword, Perry number) at the **BestLatin.net** website, or you can use the PDF version of the book to search for specific words and phrases.

6. These fables come from many different sources; see the *Fable Notes* beginning on p. 323 and the *Bibliography* on p. 429. All the sources are online; for hyperlinks to the original sources for all the fables, visit **BestLatin.net**.

7. For an overview of the fable genre and an explanation of the editorial principles that were used in preparing the Latin texts for this book, see p. 426.

8. For updates to this book, corrections, illustrations, and a forthcoming English translation, visit the **BestLatin.net** website. You can sign up there for an email list if you want to be notified of future fable publications.

FABULAE

1. Leo et Canis

Occurrit canis leoni et iocatur, “Quid tu, miser, exhaustus inedia, percurris silvas et devia? Me specta pinguem ac nitidum, atque haec non labore consequor, sed otio.” Tum leo, “Habes tu quidem tuas epulas, sed habes stolide etiam vincula. Tu servus esto, qui servire potes; equidem sum liber, nec servire volo.”

2. Leo Iratus et Puteus

Leo olim, iratus et odio furens, dum leonem alium elapsum quaerit quem mactet, in puteum offendit. Inspicit; suam imaginem in liquore pictam videt. Sibi credit hunc hostem adesse quem vult; irruit, et perit.

Saepe furiosi plus sibi quam aliis nocent.

3. Leo Furens et Caprea

Conspecto leone furente, “O miseram et infelicem conditionem bestiarum,” inquit caprea, “siquidem etiam furiosos habiturae sumus leones, quorum mentis et rationis compotum saevitiam intolerabilem esse experimur.”

4. Leo et Tauri Duo

In duos tauros leo faciebat impetum, lautas sibi epulas quaerens. Illi, coniunctis viribus, opponunt cornua, medios ne irruere possit leo. Duobus ergo impar leo viribus, dolo agere coepit, sicque est allocutus alterum, “Amicum tuum si prodideris mihi, incolumem hinc ego te dimittam.” Qua usus fraude, facili utrumque necavit negotio.

5. Leo, Lepus, et Cerva

Leo, dormientem leporem nactus, confestim eum devorare parabat. Cervam interim praetereuntem conspicatus, relicto lepore, eam persequi coepit. Lepus interea, strepitu excitatus, inde fugam abripuit. Leo autem, postquam cervam longe est insecutus nec eam adsequi potuit, ad leporem reversus est. Sed eum quoque fuga elapsum cum reperisset, “Ego mehercule digna patior,” inquit, “quia, paratam in manibus escam reiiciens, incertam volui spem sequi.”

6. Leo et Equus

Venit ad equum comedendum leo. Carens autem prae senecta viribus, meditari coepit artem. Medicumque se esse profitetur verborumque ambagibus equum moratur. Equus dolo dolum, artem opponit arti; fingit se dudum in loco spinoso pupugisse pedem oratque ut inspiciens sentem medicus educat. Paret leo, at equus multa vi calcem leoni impingit et se continuo conicit in pedes. Leo, vix tandem ad se rediens, ictu enim prope exanimatus fuerat, “Pretium,” inquit, “fero ob stultitiam, et is iure effugit. Dolum enim dolo ultus est.”

7. Leo et Unicornis

Leo, fingens se infirmum, obviavit, claudicans, unicorni, adversario suo capitali et salutato eo dixit, “Qualitercumque actum fuerit inter nos hactenus, remittatur hinc inde, quod ego ulterius nulli nocere potero, prout vides, senio et variis incommodis debilitatus. Sed multum affectarem semel loqui cum coniuge mea, quae est in deserto, ante meam mortem et peterem a te ut accommodare mihi velis cornu tuum pro podio habendo in itinere, quia satis longum et forte est. Tibi remittam illud quam cito ad coniugem pervenero, et ad hoc tibi do fidem meam.” Unicornis vero, dictis eius

omnibus credens et ipsius confictae miseriae compatiens, commodavit cornu suum et sic remansit inermis. Leo vero, modicum progrediens, fecit insultum in unicornem et, proprio cornu graviter vulnerans, devicit eum.

8. Leaena et Ursa

Erat leaena duos habens catulos. Exit autem ad venandum et venit quidam venator et catulos occidit et cum ipsorum pellibus discessit. Hoc videns, leaena contristata valde flebat. Ursa vero, tristitiam eius videns, venit ad eam dixitque ei, “Cur tristaris?” Illa respondit, “Quia venator catulos meos interfecit.” Ursa dixit, “Noli tristari; desine flere, quia passa es quod fecisti. Dic mihi, quid his annis comedisti?” Leaena respondit, “Carnes animalium.” Dixit ursa, “Quis tibi dabat?” Et ipsa, “Ego capiebam.” Et ursa, “Animalia quae capiebas parentes habebant?” Et illa, “Habebant.” Ursa ait, “Sic de filiis tristabantur ut tu nunc de tuis, et ipsa passa es sicut tu faciebas.” Haec audiens, leaena siluit et paenituit et, carnes comedere desinens, fructus manducare incepit.

9. Leaena et Sus

Sus et leaena litigabant ad invicem. Sus autem dixit leaenae, “Et tu, in quo te iactas, pro qua re tantam elevaris in superbiam? Labor tuus inanis est, et cum per annum unum labores, non potest habere nisi catulum unum. Ego fecunda et grata sum hominibus, et per duos quosque menses porto quattuordecim porcellos.” Respondit, “Verum est, sed tu paris porcellos, ego leonem.”

> *Exemplum est verbosi, qui multa loquitur inutilia. Sapiens autem paucis contentus est verbis.*

10. Leonis Filius et Homo

Leo filio praecipiebat ne cum homine depugnaret, sed dicta eius filii animum non tangebant. Cum adolevisset, progreditur videtque in agro boves et rogat num homines

sint; illi se homines esse negant, sed iugum ab homine impositum portare dicunt. Tum equum conspicatur et rogat num homo sit. “Minime,” inquit; “ego equus, sed homini servio.” Paulo post, quendam cernit in silva, ligna cuneis findentem. “Homo videris esse,” inquit; “pugnabis igitur mecum.” “Maxime,” inquit ille; “sed, quaeso te, distrahe prius hanc arborem.” Leo mox ungulas arboris fissurae incutit et dimovit ut cuneus excideret, et sic captus est. Omnibus vero viribus adhibitis, pedes de ligno retraxit ac ad suum patrem pedibus cruentis reversus est, et ait, “Mi pater, si paruissem monitis tuis, ungulas non amisissem.”

11. Leo et Iaculator

Quidam, iaculandi peritus, in montem venatum profectus est. Animalia, ubi eum conspexerunt, quaelibet sibi fuga consuluere. Leo solus eum in pugnam provocavit. Tunc venator, iaculum emittens et leonem feriens, “Nuntium meum hunc accipe,” inquit, “et qualis sit vide; haud mora ipse quoque ad te veniam.” Vulneratus leo in fugam protinus se coniecit. Quem cum vulpes ut animum sumeret et resisteret hortaretur, “Nequaquam,” ait, “me decipies, amica; si enim tam acerbum nuntium habet, cum ipse venerit, haud sane potero sustinere.”

12. Leo Amatorius et Silvanus

Leo silvani cuiusdam filiam perdite amavit et patrem virginis sollicitabat ut illi virgo in matrimonium daretur. Respondebat silvanus filiam esse tenellam et delicatulam virginem et numquam hamatos eius ungues dentesque passuram. Passus est igitur leo dentes et ungues evelli ut virgine frueretur. Quod cum vidisset pater, fustibus leoni involabat et longius imbellem abigebat.

> *Fabula indicat vesaniam inutilis amoris, propter quem pretiosissima perdimus et captivitatem patimur.*

13. Leo et Homo, Concertantes

Homo et leo inter se concertabant quis eorum esset superior et, cum venissent ut quaererent huius altercationis testimonium ad monumentum ubi erat pictura quomodo ab homine leo suffocaretur, ostendit leoni homo testimonium in pictura. Cui leo sic ait, "Hoc ab homine pictum est. Nam si leo pingere posset, pinxisset quomodo leo suffocasset hominem. Veni mecum et dabo tibi verum testimonium." Deduxit leo hominem ad amphitheatrum, et ostendit illi veram fidem quomodo homo a leone suffocatur et dixit homini, "Hoc testimonium non est color, sed opus in veritate factum."

14. Leo in Stabulum Ingressus

Leo in agricolae stabulum ingressus erat, quem cum agricola comprehendere vellet, stabuli portam continuo clausit. Belua ita inclusa, cum egredi ullo modo nequiret, primum quidem pecudes discerpsit, ac deinde ad boves quoque sternendos se convertit. Tunc sibi agricola metuens, ianuam subito reseravit. Ita, leone digresso, cum mulier gementem virum vidisset, "Tibi quidem digna," ait, "evenere. Quonam enim consilio eum hic claudere voluisti, quem procul etiam formidare oportebat?"

15. Leo et Pastor

Leo, errans, spinam calcavit et illico ad pastorem, cauda blandiens, venit, cui ait, "Non perturberis. Auxilium a te imploro; non indigeo esca." Sublatum hominis posuit in gremio pedem. Pastor spinam exemit pede. Redit in silvas leo. Post autem, pastor falso incusatur crimine et ludis proximis emissis bestiis proiicitur. Passim dum discurrunt ferae, eum agnovit leo, qui fuerat medicatus. Sublatum rursus pastori ponit in gremio pedem. Hoc rex ut cognovit, leoni iussit parci et mansuetum pastorem dimitti parentibus.

> *Bene gerenti numquam poterunt adversariorum praevalere supplicia.*

16. Leo, Vacca, Capra, et Ovis

Societatem aliquando iunxerant leo, vacca, capra, et ovis. Cervum permagnum cum cepissent, leo praedam divisit in quattuor partes aequales. Tum ita locutus est, “Prima pars mea est, quia sum leo; secundum mihi tribuetis, quia sum fortissimus; tertiam mihi sumo propter egregium laborem meum; quartam qui tetigerit, iram meam excitabit.” Sic totam praedam solus retinuit.

17. Leo Epulum Faciens

Leo epulum opipare apparateque ceteris brutis animalibus exhibebat, in quo gallinae, turdi et huiusmodi avium carnes, partim assae, partim elixae erant. Hoc cani, feli, et ceteris animalibus carnivoris gratum admodum erat. Cetera autem, quaecumque herbis hordeoque vescuntur, huiusmodi convivium ut insipidum damnabant.

> *Fabula indicat quam difficile sit variae vulgi voluntati satisfacere.*

18. Leo et Catus

Contigit quod animalia invitata sunt a leone ad magnum prandium. Fuit invitatus catus. Quaerebat leo quid libentius comederet, volens singulis satisfacere. Et ait catus, “Rattos et mures.” Cogitavit leo, “Nisi omnes haberent de hoc ferculo, esset villania.” Tandem facit venire ferculum generale de rattis, et catus optime comedit. Alii murmuraverunt, dicentes, “Fi, fi! Quid apponitur nobis?” Et totum prandium propter hoc maculatum est.

> *Sic plerique faciunt magnum convivium; tandem sunt ibi quidam cati et nihil placet eis nisi habeant immundam ebrietatem, et gratia illorum omnes tam volentes quam nolentes retinentur usque ad noctem ut omnes possint inebriare.*

19. Leo et Acies Eius

Leo, rex quadrupedum, adversus volucres pugnaturus, suorum acies instruebat. Interrogatus autem ab urso quid ei asini inertia aut leporis timiditas ad victoriam conferre possent, quos ibi inter ceteros milites adesse cernebat, respondit, “Asinus tubae suae clangore milites ad pugnam concitabit; lepus vero ob pedum celeritatem tabellarii fungetur officio.”

Fabula significat neminem adeo contemptibilem qui aliqua re nobis prodesse non possit.

20. Leo Rex et Regia Eius

Rex leo quondam animo instituit singulas quibus imperitabat ferarum gentes recensere; ergo clientes subditosque cuiusque generis ad se legatos mittere iussit. Epistola sigillo regio munita circumfertur: Regem mense integro clientes excepturum in aula; magnum apparari convivium. Hac munificentia princeps suis suam indicabat potentiam. In regiam eos vocat. Quae regia? Ossuarium, cuius fetor nauseam provocat! Ursus nares reclusit. Displicuit; rex offensus ursum fastidiosum ad Plutonis regna detrusit. Huic asperitati applausit simia; iram, ungues, speluncam regis putidam adulatoriis laudibus extulit. Verum, insulsa adulatio male accepta, poenas dedit. Rex ille leoninae gentis Caligulae consimilis fuit! Vulpi vicinae ait, “Quid olfacis? Dic, nec simula.” Illa vero, “Excusatam me habeas, quippe quae rheumate oppressam carentemque olfactu.” Ita vulpes se expedit.

21. Leo Rex et Simius

Cum se ferarum regem fecisset, leo bonam famam consequi voluit, more regum. Prioribus suis fatis ferocibus renuntians, mutavit consuetudinem; sine sanguine cibum sumere iuravit. Postea de hac re coepit habere paenitentiam et, dum mutare non posset naturam, coepit aliquos ducere in secreto ut falleret et quaerere si os feteret. Et illos qui dicebant fetet et putet, ac illos qui

dicebant non putet aut tacebant, omnes dilaniabat. Postea simium interrogabat si putidum haberet os. Ille cinnamomum dixit et quasi deorum altaria. Leo erubuit laudatorem ut illi tunc parceret. Sed postea languere se simulavit. Et continuo venerunt medici et suadent sumere cibum levem, qui tolleret fastidium pro digestione. At leo, ut regibus omnia licent, "Ignota est mihi caro simii; eam probare vellem."

22. Leo, Vulpes, et Simius

Leo, animalium imperio potitus, ea animalia quae honore caudae carerent exsulare e finibus regni sui iusserat. Vulpes pavefacta iam vasa colligebat, ire in exilium parans. Cui cum diceret simius, ad regis imperata iam solum vertens, edictum ad illam non pertinere, quae tantum caudae haberet ut superforet, "Verum dicis," inquit illa, "et recte admones. Sed quo scio an me leo vel primam numerare velit inter illa quae cauda carent?"

> *Qui vita sub tyranno agenda contigit, insons licet sit, saepe ut nocens plectitur.*

23. Leo Senex, Vulpes, et Lupus

Leo, cum consenuisset, aegrotabat, iacens in antro. Accesserunt autem visitatura regem, praeter vulpem, cetera animalia. Lupus igitur, capta occasione, accusabat apud leonem vulpem quasi nihili facientem suum omnium dominum et propterea neque ad visitationem profectam. Interim affuit et vulpes et ultima audivit lupi verba. Leo igitur contra eam infremuit sed, defensionis tempore petito, vulpes "Quis," inquit, "eorum qui convenerunt tantum profuit quantum ego, quae in omnem partem circuivi et medicamentum pro te a medico quaesivi et didici?" Cum autem leo statim ut medicamentum diceret imperasset, illa inquit, "Lupo vivente excoriato, ipsius calidam pellem indueris." Lupo statim mortuo iacente, vulpes ridens ait, "Sic non oportet dominum ad malevolentiam movere, sed ad benevolentiam."

24. Leo Senex, Gemens

Leo, gravatus aetate et febribus, iacebat, spiritum trahens extremum. Supervenit aper spumans dentibus, veterem iram effundens. Taurus cornibus corpus eius undique confodit. Asinus pedibus suis eum attrivit. Et dixit vix spirans cum gemitu, “Heu! Cum esset virtus, erat honor; fuit et timor, immo et opinio mea terruit plures. Deficientibus autem viribus, deficit honor.”

25. Leo Senex et Vulpes

Leo, defectus annis, recubabat in spelunca sua et aegrum simulabat. Visitatum regem complures venerunt bestiae, quas protinus devoravit. Accessit etiam vulpes, sed cauta ante speluncam procul stabat, salutans regem. “Cur non intras?” interrogavit leo. Vulpes respondit, “Quod video vestigia intrantium multa, at nulla exeuntium.”

26. Leo et Vulpes Territa

Vulpes, cum numquam leonem vidisset, postquam olim forte in eum incidit, primo quidem intuitu ita perterrefacta est ut parum abfuerit quin periret. Rursus autem eodem obviam reperto, tunc etiam, sed non ut antea, timuit. Tertio demum ipsum conspicata, audax ita fuit ut, accedens, cum eo colloqueretur.

Quae terribilia sunt, consuetudo blandiora reddit.

27. Leo Inclusus et Vulpes

Vulpes, prope leonem inclusum stans, multis eum lacerabat contumeliis. Leo respondet, “Tu quidem nulla me iniuria afficis, sed adversa quam nunc experior fortuna.”

28. Leo Irretitus et Vulpes

Leo, comprehensus laqueo, totis viribus vincula dirumpere conabatur; quo autem maiori conatu laqueum trahebat, eo arctius detinebatur. Vulpes, illac iter habens, cum

hoc esset intuita, “Non viribus,” inquit, “mi rex, istinc evades, sed ingenio. Relaxandus enim laqueus et dissolvendus; non trahendus est.” Quod cum leo fecisset, statim soluto laqueo quo erat astrictus, liber evasit.

Fabula indicat ingenium viribus longe esse praestantius.

29. Leo, Mus, et Vulpes

Leo cum olim dormiret, per os eius mus forte discurrit. Tum ille, consurgens, quaquaversum circumagebatur, eum quaeritans qui inde transierat. At vulpes, eum conspicata, graviter obiurgabat quod leo nimirum cum esset, murem pertimuisset. Cui ille “Ego vero,” respondit, “de eius voluntate tantummodo irascor.”

Haec profecto docent quod prudentes homines ne parva quidem negligere debeant.

30. Leo et Vulpes, Socii

Vulpecula, apparitoris instar, operam suam locabat leoni, ita ut haec praedam indicaret, ille aggressus caperet. Quare et utrique pro dignitate qua erat, pars obtingebat. Sed vulpes, cum leoni partem invideret maiorem, venari potius ipsa voluit quam indicare. Et, aliquid e grege ovium conata rapere, primum ipsa praeda facta est venantibus.

Servire tuto melius est quam cum periculo dominari.

31. Leo, Vulpes, et Asinus Venantes

Vulpes, asinus, et leo venatum iverant. Praedam asinum partiri leo iussit. Asinus singulis singulas partes ponebat aequales, sed leo eum dilaniavit. Tum vulpeculae negotium partiendi dedit. Haec, sapientior quam asinus, partem maximam leoni apposuit et sibi vix minimam particulam reservavit. Leo subridebat et eius prudentiam laudabat. Tandem rogavit, “Unde didicisti talem prudentiam?” Respondit vulpes, “Calamitas asini me docuit quid minores potentioribus debeant.”

32. Leo, Asinus, et Vulpes Perfida

Iniit amicitiam cum asino vulpes, atque ita communiter exiere venatum. Cum autem leonem conspexisset vulpecula, verita ut evadere cursu posset, calliditate periculum vitare tentat et, ad leonem accedens, paciscitur vitam suam pro asini proditione. Leo tum quidem vulpi vitam promittit. Illa vero in laqueum inducit asinum, in quo captus cum haereret neque aufugere posset, capit prius vulpem leo atque ita ad devorandum otiose asinum accedit.

Fabula indicat quod sociorum suorum proditores sibi etiam ipsi plerumque exitium accersant.

33. Leo, Filius Eius, Ursi et Vulpes

Leo tres habuit filios. Matre eorum mortua, leo aliam uxorem quaerebat. Regnum ergo filio primogenito commisit et abiit. Filius uxorem duxit, filiam ursi. Pater quoque nuptam desponsavit, vulpis filiam, et ad celebrandas nuptias ad regnum suum redire paravit. Sed filius patri mandavit ut aliud sibi regnum acquireret, quia istud suum esse deberet. Pater, turbatus, parentibus sponsae suae mandavit; vulpes venerunt, et bellum indictum est. Vulpes autem, non tam in armis quam in artibus suis confidentes, praecipiunt foveas profundas fieri et ramis melle illitis operiri. Die igitur statuto, leonis filius cum magno ursorum exercitu venit in campum. Sed ursi, mox ut odorem mellis senserunt, ad ramos illitos accesserunt et in foveas subruuntur. Sic patri cessit victoria, et regnum sibi negatum recepit.

34. Vulpes in Tugurium Ingressa

Vulpes esuriens, cum in tugurio quodam relictas a pastore carnes panemque vidisset, eo ingressa, quam suavissime devoravit. Tumefacto proinde ventre, cum inde exire non posset, suspirabat graviter atque lamentabatur. Alia autem vulpes cum illac forte transiret eiusque fletus audiisset, eo accedens, quam ob rem ita

lugeret interrogavit. Cuius rei causam ubi intellexit, “Mane istic ergo tantisper,” inquit, “donec talis fias, qualis es ingressa.”

Fabula significat quod tempus vel difficillima solvit.

35. Vulpes et Vota Eius

Vulpes, ingressura domum rustici ubi gallinas audierat, foramen per quod transeundum erat dilatari cupiebat. Sed rursus, cum raptam gallinam ferens inde fugeret et latratum canis audiret, deos precabatur ut cani foramen esset angustum ne inde posset exire.

Fabula indicat mortales pro commodis suis vota mutare.

36. Vulpes et Formica

Vulpes, pertaesa cavum suum et latibulum, decreverat in alio loco magis aperto et alto habitare ut meliori caeli temperie frueretur. Iamque ligna et lapides, unde sibi domum fabricaret, comportabat, cum occurrit ei formica, quae, vulpis sciscitata consilium, probavit quod salubriori aere esset gavisura, sed non securiori. Immo serio monuit ne habitationem mutaret, si vellet suae saluti ac securitati consulere et sibi credere consulenti, et meminisset quo odio apud vulgus laboraret. Vulpes, consilio formicae deterrita, lapides et ligna reportavit nec amplius de mutandis aut aedificandis aedibus cogitavit.

Haec docet cuiuscumque operis ante omnia de fine consulendum.

37. Vulpes et Uva

Vulpes, extrema fame coacta, uvam appetebat, ex alta vite dependentem. Quam cum summis viribus saliens attingere non posset, tandem discedens, “Nondum matura est,” inquit; “nolo acerbam sumere.”

38. Vulpes et Luna

Vulpes quaedam de nocte ambulavit secus fluentum viditque umbram lunae in aquis apparere et caseum esse putavit. Coepit igitur aquam lambere, sperans quod, exhausto flumine, fundus arefactus caseum sibi reseraret. Sic igitur non cessavit donec se ipsam lambendo suffocavit.

39. Vulpes et Statua

In statuarii officinam irrepserat vulpecula ac, contemplando diversi generis et variae formae effigies, magnam voluptatem capiebat. Inter omnes tamen, una muliebris corporis statua imprimis vulpem delectabat, ad quam et accedebat et sermonem instituebat et blandissime alludebat. Sed, statua immobili persistente, vulpes, indignata, “Quam formosa facies,” inquit, “cerebro caret!”

40. Vulpecula et Tintinnabulum

Vulpecula habitabat iuxta flumen; non procul inde alligatum arbori tintinnabulum erat, quo ventis impulso omnia circum loca resonabant. Vulpecula, cui ignota vox illa esset, metuebat ne quid ferae et immanis bestiae tales sonos ederet. Tandem sensim et placide arrepens, perspectaque tintinnabuli inanitate, cuius strepitibus nihil subesset virium, “Nunc deinceps non facile,” inquit, “specie et opinione percelli animum meum patiar.”

> *Multa opinione magnifiunt, quibus praesentibus nihil est contemptibilius.*

41. Vulpes Sine Cauda

In foveam incidit vulpecula et inde, cauda detruncata, occurrit multis vulpeculis. Quas cum indignabunde conspexerat, inquit, “Fraterculi, quo vaditis?” “Ad leonis basilicam eundum est nobis,” respondebant. “Ad leonis basilicam?” inquit vulpes. “Profecto, ego ab ea nuperrime redii, et mos iamiam novellus est ut

omnes ferae detruncent caudas.” Quibus auditis, illico detruncabant illae suas caudas. Quas cum vidit vulpes, irrisit et consolabatur se socios, si non periculi, saltem pudoris, creavisse.

Solamen miseris est socios habuisse doloris.

42. Vulpes et Maeander Fluvius

Vulpes ad Maeandrum fluvium aliquando, ut ex eo potarent, convenere sed, cum magno impetu flueret aqua, mutuo sese compellentes, ingredi non audebant. Quo viso, illarum una, in medium prodiens, ut ceteras simul contemneret earumque timorem irrideret et se prae cunctis animosam ostenderet, audacter in undas desilivit. Aquarum vero impetu eam in medium proripiente, ceterae in ripa stantes, sic eam sunt allocutae, “Ne nos derelinquas, sed reversa demonstra, qua ingressis tuto liceat bibere.” At illa, dum ab undis raperetur, “Responsum,” ait, “mihi est Miletum deferendum; id eo ferre volo; cum revertar, introitum vobis demonstrabo.”

In eos, qui per iactantiam sibi ipsis creant pericula, est haec fabula.

43. Vulpes, Vultur et Ostrea

Vultur olim ostream grandem invenerat. At, cum testa durior praedam clauderet, ille famem suam explere frustra conatur. A vulpe ergo consilium idoneum petit. Quae, pariter dapis delicatae appetens, “Operam omnem tuam,” inquit, “misere perdideris, si domum corneam rostro frangere velis. Sed alte in auras evola, quantum potes; hinc durum corticem in istam rupem mitte. Facile frangetur et apertam dapem offeret.” Ille stultus his monitis ultro paruit. At vulpes dolosa, postquam ostream carcere suo liberatam videt, hanc vorat et, conchas tantum vulturi linquens, fugit.

Fabula docet imprudenter hos consuli, ad quos consilii fructus redire potest.

44. Vulpes et Avis Terraneola

Avis, quam rustici terraneolam dicunt, scilicet quia in terra nidum componit, forte vulpeculae improbae occucurrit. Qua visa, pennis altius se sustulit. “Salve,” inquit illa; “cur, obsecro, me fugisti? Quasi non abunde mihi cibus in prato sit, grilli, scarabaei, locustarum copia. Nihil est quod metuas. Ego, propter mores quietos tuos et vitam probam, multum te diligo.” Respondit cantrix, “Tu quidem bene praedicas. In campo non par; sublimis tibi par sum. Quin sequere; hic salutem meam tibi committo.”

45. Vulpes, Corvus et Gallus

Corvus aliquando et vulpes coniuncti fuerunt. Cum esurirent, excogitat hanc fraudem vulpes. Induit cucullam et procumbit in genua et librum ante se collocat et priores pedes tamquam manus una cum oculis in caelum tollit, quasi deplorans prioris vitae delicta et veniam deprecans, et divinam misericordiam implorans. Venit igitur ad gallinarum cohortem corvus et mira narrat de religione vulpis, deque illius salutari doctrina, deque vitae emendatione et sanctitate. “Sed quid opus est,” inquit, “verbis? Paululum in hoc nemusculum progressae, ipsae aspiciatis optimam vulpeculam iam cultui divino et adorationi vacantem.” Movebantur oratione corvi stolidae aves et sequi hunc incipiebant cum gallus, fraude animadeversa, revocat illas ac monet viderent qui ipsas a quo ad quem abduceret.

Cui credas, videto.

46. Vulpes Pacem Annuntians

Vulpes olim gallum in arbore residentem vidit. “Descende et huc veni,” inquit vulpes, “tecum de multis rebus colloquium habere volo; iamdiu in unum non convenimus.” “Benigne,” respondet gallus, “mea tamen sententia hic tutior sum.” “Nonne tu novum edictum audivisti?” vulpes inquit; “omnia enim animalia inter se pacem decreverunt, et nunc nos omnes in amicitia et

concordia vivimus.” Gallus nihil respondet at intente in silvam distantem oculos divertit. “Quid tam intente prospicis?” vulpes rogat. “Nisi fallor, video canes venaticos huc rapide currentes,” gallus respondet. “Si hoc verum est,” vulpes inquit, “ego quam celerrime hinc me recipiam.” “Noli festinare,” exclamat gallus, “sed hic parumper mane. Nonne omnia animalia pacem inter se agunt?” “Id verum est,” vulpes inquit, “at fortasse catuli edictum nondum acceperunt.”

47. Vulpes a Gallo Auxilium Implorans

Famelica vulpes, ut fraude gallum gallinaceum quem conspexerat allicere ad se atque capere posset, humi se prosternit et alterum oculum comprimit, cum miserabili querimonia et imploratione auxilii a gallo, sibi qui eximeret spinam de oculo, cui illa paulo ante vadenti per sentes infixa esset. Gallus, intellecto dolo, “Non ego medicus sum,” inquit, “et si incautius ad oculos forte unguiculos admoverim, periculum fuerit, ne calcaribus meis etiam sanus oculus laedatur. Sed paululum exspectare si vis, ego domum nostram advolabo, et inde qui tibi medeatur accersam.” Vulpes et ipsa sentiebat dolose agere gallum; se igitur pati velle ait quod necesse sit, nam saepe audivisse, multis medicis utendum non esse.

48. Vulpes Vincta et Gallus

Rusticus vulpi tetenderat laqueos, quae ei plurimam gallinam devoraverat. In quos illa incurrit; capta, rogavit gallum, a quo solo visa fuerat, ut opem ferret ut posset exire; super omnia, ne quid de se hero aperiret. Pollicetur gallus quantum poscebat et, properato gressu, domum reversus, infidae nil fidei servaturus, hero nuntiat cecidisse vulpem in casses vinctamque teneri. Is, gestiens securi, armatus currit ad locum. Quo viso, vulpes, proditam se intellegens, “O me stolidam,” dicebat, “quae gallum, cuius olim tot feminas strangulavi ac devoravi, putavi mihi fore amicum fidumque.”

49. Vulpes, Gallus, et Villicus

Vulpes aliquando, sustinens famem, ivit ad villam quandam, et veniens ante gallum dicebat ei, “O domine mi galle, quam pulchram vocem habebat pater tuus! Nam ego, volens audire vocem tuam, veni huc. Unde rogo te ut canas alta voce, ut audiam utrum tu an pater tuus pulchriorem habeat vocem.” Tunc gallus cum elatione, clausis oculis, coepit cantare. At vulpes, insiliens in eum, portabat eum in silvam. Tunc homines illius villae, insequentes eam dicebant, “Vulpes portat gallum nostrum!” Audiens haec, gallus dixit vulpi, “Audis quid dicunt villani? Dic ergo illis: meum gallum, non vestrum, porto.” Tunc vulpes, dimittens gallum ex ore, “Meum,” ait, “gallum porto, non vestrum.” Gallus autem, volans in arborem, dicebat, “Mentiris, domina mea; ipsorum sum, non tuus.”

50. Vulpes a Rustico Capta

Vulpes, capta a rustico cuius quam plurimas gallinas occiderat, blandis eum verbis orabat ut se dimitteret, persancte iurans nullum ulterius damnum se illi illaturam. Cui rusticus “Ignoscerem,” inquit, “tibi perlibenter et te incolumem dimitterem, nisi te subdolum et fidefragum animal cognoscerem. A mortua nullum mihi detrimentum inferri posse, certo scio; a viva vero subdubito.”

51. Vulpes Mortem Simulans et Agricola

Vulpes callida in fundum quemdam noctu venit. Ibi multos pullos et gallinas devoravit. Tum autem eadem rima, qua inierat, reverti non poterat. Prima luce agricola fundum circumire coepit. Multas gallinas, quas nocte priore viderat, reperire non potest. Mox autem vulpem aspexit, quae humi quasi mortua iacebat. Itaque caudam vulpis arripit; deinde animal super murum deicit. Vulpes autem simul ac humum attigit, sine mora prosiluit. Et priusquam agricola se receperat, callidum animal in tutum pervenit.

52. Vulpes Mortem Simulans et Canis

Vulpes, simulans se defunctam ut aves ad se tanquam ad cadaver accedentes interciperet, luto oblita, in quodam agro resupina iacebat, exspectans cornices, corvos et huiusmodi rapaces volucres, quas devoraret, cum superveniens canis eam mordicus captam coepit dentibus lacerare. Quod illa animadvertens, “Digna,” inquit, “patior, nam dum fraudibus aves capere studeo, ab alio capta sum.”

53. Vulpes et Taxus

Vulpes, cum debuisset suspendi et taxus eam duceret ad curiam leonis, facta confessione de omnibus peccatis, eodem die vidit gallinas iuxta domum cuiusdam hominis. Et taxo ait, “Illa est via qua incedere debemus, scilicet iuxta domum illam quam videmus.” Cui taxus respondit, “Misera, hodie confessionem mihi fecisti de cunctis peccatis tuis, et confessa eo quod multas gallinas devorasti, et promisisti Deo in manu mea quod de cetero abstineres.” Cui vulpes ait, “Verum dicis, sed ego tradideram oblivioni.”

54. Vulpes et Mulieres

Vulpes, iuxta villam quandam transiens, conspexit catervam mulierum plurimas gallinas, opipare assatas, alto silentio comedentem. Ad quas conversa, “Qui clamores,” inquit, “et canum latratus contra me essent, si ego facerem quod vos facitis!” Cui respondens quaedam anus, “Pessima animalium,” inquit, “nos quae nostra sunt comedimus; tu aliena furaris.”

55. Vulpes et Vir Fluctus Numerans

Homo quidam in litore sedens ad fluctuosum mare fluctus numerabat. Cum vero subinde erraret, graviter id ferre et excruciari, donec adstans vulpes ei diceret, “Quid laboras, mi homo, eorum causa qui praeterierant? Eos qui hinc oriuntur numerare incipere, illis neglectis, oportet.”

56. Vulpes et Asinus Pelle Leonis Indutus

Asinus, pelle leonis indutus, per nemora, reliqua bruta perterrens, vagabatur. Vulpe autem conspecta, ipsi quoque timorem iniicere conatus est. Sed haec, ubi casu eius vocem audivit, "Scias velim," inquit, "quod et ego te sane pertimuissem, nisi rudentem audivissem."

57. Vulpes et Vermiculus

Emersus de sterquilinio, vermis coepit profiteri apud animantes se esse medicum summum, neque cedere Paeoni, deorum medico, usu et experientia artis. Quem rugis deformem et nutantem intuita, vulpes "Medice," inquit, "teipsum curare prius atque ita profiteri artem debueras."

58. Vulpes et Pardus

Vulpes et pardus de pulchritudine concertabant et, pardo suam pellem versicolorem extollente, vulpes, cum suam praeponere non possit, dicebat pardo, "At quanto ego sum speciosior et quam longe formosior, quae non corpus, sed animum versicolorem et variis notis insignem sortita sum!"

59. Vulpes et Catus

Contrahebant inter se amicitias catus et vulpes, cui vulpes astutiarum suarum grandem recensebat numerum. Catus replicuit, "Ast ego uno tantum consilio et, quod Natura ad meipsum praeservandum suggessit, contentus sum." Inter haec, odoram canum vim appropinquantium audiunt. Catus confestim altissimos arboris scandebat ramos et secure despectans sedebat. Vulpes autem et hic et illic trepide currebat et, nulla aufugiendi spe relicta, nulla uspiam latebra inventa, a canibus apprehensa laceratur.

60. Vulpes, Agnus, et Canis

Vulpes, in ovium gregem ingressa, quo tempore agni lactentes erant, ex iis unum arreptum deosculari fingebat. Quapropter a cane quidnam faceret interrogata, “Nutricor ipsum,” ait, “cum eoque me oblecto.” At ille, “Nisi agnum extemplo dimittis, quae sunt canum propria, in te exeram.”

61. Vulpes Sanguine Madens

Vulpes gallum gallinaceum rapuerat et voraverat. At canis fortis hanc vulpem, recenti sanguine adhuc madentem, occupat et vorat, membra dente crebro discerpens.

Ab alio exspectes, alteri quod feceris.

62. Vulpes et Lupus apud Iovem

Convenerant lupus et vulpes adire Iovem ut ab eo peterent ambo quod sibi quisque deesse existimabat: lupus rapax, calliditatem vulpis; vulpes callida, lupi vires et impetum; sic fore ut singuli abundantius praedas facerent. Respuit crudelium animalium vota Iuppiter, utpote iniusta et iniuria proximis suis. “Ab origine mundi singulis animantibus largissime data munera, non uni omnia,” respondit.

63. Vulpes Aemula et Lupus

Lupus praedam multam in cubili congregaverat ut plures menses haberet quo vivere posset. Vulpes ad eius cubile venit et, aemula, lupo dixit, “Quia non vidi te per tot dies, merito tristis fui.” Cui lupus, ut agnovit livorem, ait, “Non ad me sollicita venisti, sed ut aliqua rapias.” His verbis vulpes irata, pastorem adiit. “Agis mihi gratias,” inquit, “si tibi inimicum gregis tui hodie in manus tradidero, ut iam non sis sollicitus?” Pastor ait, “Ego serviam tibi, et siquid volueris tibi tradidero.” Tunc clausum illa ostendit lupum, quem lancea ille peremit, et aemula vulpes se de alieno saturavit. Deinde ipsa in venatorem cum incideret,

deprehensa a canibus et laniata, sic ait, “Ego male feci et male modo pereo, quae alterum laesi.”

64. Vulpes in Puteum Delapsa et Lupus

Vulpes, cum in puteum fortuito incidisset, lupum in ripa praetereuntem vidit rogavitque ut funem sibi compararet opemque daret ad se ipsam a tanto periculo extrahendam. Cui lupus, “Miserrima vulpes, condoleo tuum infortunium. Dic, precor, quomodo in hunc puteum incidisti?” Respondebat vulpes, “Non opus est ambagibus. Quin tu funem comparato, et deinde omnia tibi in ordine expediam.”

> *Qui in imminentibus versantur periculis non verba superflua, sed praesentes suppetias quaerunt.*

65. Vulpes et Lupus in Fossam Delapsus

Lupum in fossam lupariam delapsum vulpes conspicata, irridebat et circum oras et fossae marginem laetabunda saltitabat, stolidum animal illum appellans, qui hominum fraudes non animadvertisset. Dum sic ergo lasciva gestiret, subsidens terra eam traxit in praeceps. Quam delabentem lupus conspicatus, “Maximum,” inquit, “nunc mortis meae solacium ad Manes feram, videns vulpem, quae me irridebat, mecum pereuntem.”

66. Vulpes et Lupus in Lardario

Lupus obviavit vulpi, dicens ei, “Magnam famem habeo, nec scio ubi quicquam praedari potero.” Cui vulpes, “Si vis me sequi, satis abunde reficiemur.” Respondit lupus, “Libenter sequar. Eamus citius, quia fames me cruciat.” Duxit igitur eum vulpes ad lardarium, et intrat prius ipsa per quoddam foramen, et lupus post eam, sed cum magna angustia, quia foramen erat valde strictum. Invenerunt magnam copiam carnium et piscium. Vulpes vero, memor stricti foraminis per quod oportebat eam reverti, moderate sumpsit. Lupus quidem ingrossavit se ad plenum. Auditur interim tumultus a familia, et veniunt famuli cum canibus

et fustibus; intrant lardarium. Vulpes autem hoc audiens fugit ad foramen et exivit. Lupus vero, volens exire nec valens prae ventris grossitudine, capitur, fustigatur, et canum dentibus discerpitur.

67. Vulpes, Lupus, et Pisces

Lupus obvians vulpi ait, “Compater, unde venis?” Et vulpes, “Pisces optimos cepi et sufficienter comedi.” Quaesivit lupus, “Quomodo cepisti?” Ait vulpes, “Caudam in aquam posui, diu tenui, pisces caudae adhaeserunt et traxi eos ad terram et comedi.” Et lupus, “Numquid sic ego pisces capere possum?” Ait vulpes, “Optime poteris, cum sis fortior quam ego.” Perrexit ergo lupus festinanter et caudam in aquam posuit et diu tenuit donec esset congelata. Post longam moram, voluit caudam extrahere, credens quod multitudo piscium ei adhaereret, sed non potuit propter gelicidium quod caudam tenuit. Detentus est ibi usque mane et venerunt homines et lupum fere usque ad mortem fustigaverunt. Et cum vix evasisset, maledixit compatri suo, qui pisces sibi promisit et verbera et vulnera persolvit.

68. Vulpes, Lupus, et Panarium

Vulpes piscem comedebat iuxta flumen; lupus autem partem ab ea petebat. Vulpes ait, “Docebo te artem piscandi, et sic capies pisces et manducabis. Sed panario opus tibi est.” Abiens autem lupus ad vicum, furatus est panarium, et attulit vulpi. Vulpes panarium ligavit ad caudam lupi valde fortiter et dixit ei, “Vade per aqam, trahens panarium, et ego retro te vadam, submovens pisces.” Lupus autem trahebat per flumen panarium et vulpes caute lapides in panario ponebat. Cum autem plenum esset, vulpes abiit ad vicum et dixit hominibus, “Ecce lupus, qui oves, qui agnos, qui omnes bestias vestras comedit, nunc etiam a flumine vestro pisces extrahit.” Tunc omnes, cum gladiis, fustibus, et canibus, exierunt ad lupum et usque quasi ad mortem percusserunt.

69. Vulpes, Lupus, et Puteus

Vulpes casu cecidit per unam situlam in puteum. Venit lupus et quaerebat quid faceret ibi. Quae ait, “Bone compater, hic habeo multos pisces et magnos; utinam mecum partem haberes!” Et ait lupus, “Quomodo possem illuc descendere?” Ait vulpecula, “Supra est una situla; pone te intus, et venies deorsum.” Et erant ibi duae situlae; quando una ascendit, alia descendit. Lupus posuit se in situlam et descendit; vulpecula in alia situla ascendit. Et quando obviaverunt sibi, ait lupus, “Bone compater, quo vadis?” Et ait vulpes, “Satis comedi et ascendo. Tu descende et invenies mirabilia.” Descendit miser lupus nec invenit aliquid nisi aquam. Venerunt mane rustici et extraxerunt lupum et usque ad mortem verberaverunt.

70. Vulpes, Lupus, et Caseus

Dum putei liquor placidus lunae plenae simulacra speculo suo redderet, vulpes ieiuna illuc forte accessit, victum quaeritans; fames malesuada eam perpulit ut caseum pinguem super summis aquis innatare crederet. Vulpes ergo, cum itus facilis esset situlis duobus qui vices alternabant, in situlum ad marginem elatum sese iniicit. Sed sic delapsa, mox errorem suum luget et se perituram deputat. Iam biduum consumptum erat cum lupus tandem advenit. Quem vulpes conspicata, “In situlum,” ait, “te cito immitte; caseus opimus hic mihi repertus est. Comedi quantum cupiditas mea voluit; nunc satura, cogor hunc caseum deserere, sic abrasum, ut vides,” luna scilicet decreverat, et simul lunae imago. Lupus credulus obsequitur; sursum propellit vulpem et, parum anxia quid lupo fieret, vado haerentem liquit.

71. Vulpes, Lupus, et Asini Privilegium

Leo edixit ut omnia animalia coram eo comparerent et, illis congregatis, petiit si quis abesset. Asinus vero aberat, in quodam prato viridi et delectabili se depascens. Pro quo producendo, lupum tamquam fortem et vulpem tamquam

prudentem transmittebat. Qui, accedentes ad asinum, sibi nuntiarunt ut, more aliorum, coram domino suo compareret. Asinus respondens dixit se tali privilegio tutum, quod ab omnibus edictis exemptus fuerat. Nuntii petierunt ut eius privilegium legerent, quod asinus concedebat. Altercatione quidem exorta inter lupum et vulpem quis eorum legeret, sors cecidit super vulpem, quae privilegium sibi demonstrari petiit. Cui asinus dixit, “Sub pede dextro lege confidenter.” Asinus sic vulpis accedentis oculos percutiendo avulsit. Unde lupus praecavens dixit, “Qui clerici probantur peritiores, non sunt in opere cautiores.”

72. Vulpes, Lupus, et Tria Vera

In lupum vulpes quae inciderat misella, vivam se ut caperet precabatur neque vetulam interimeret. Qui “Si mihi tres,” ait, “easque veras dixeris sententias, per Panem vitae parcam tuae.” Vulpes contra, “Utinam primum non fuisse obviam factus mihi! Dein utinam occurrisses caecus! Et super his habe,” inquit, “tertiam: utinam non ad seriorem pervenias aetatem nec mihi denuo obviam occurras!”

73. Vulpes et Nauta

Vulpes, volens mare transire, rogavit nautam ut se transferret; quod, naulo constituto, nauta fecit. Cum autem iam ad aliud litus ventum fuisset, nauta petiit naulum. At vulpes minxit super caudam et aspersit oculos nautae et quasi excaecavit eum, et saltavit ad terram extra navem. Et dixit nauta, “Malum salarium reddidisti mihi.” Cui vulpes, “Aliter fieri non potuit, iuxta illud quod scriptum est: Servitium, dico, perdit qui servit iniquo.”

74. Lupus et Nauta

Lupus, in aliam regionem transiturus, venit ad fluvium et nautam rogavit ut ipsum in navicula sua transportaret; “Dabo,” inquit, “quod volueris; tantum me recipiat navis.”

Iussus est ergo intrare, et navis soluta est a litore. Tunc ait lupus homini, “Dic modo quid mercedis tibi daturus sum.” “Tria vera,” inquit, “mihi dicas pro pretio.” Placuit hoc lupo, et statim unum protulit: “Bene facit, qui benefacit.” Post haec, medio iam in flumine transito, protulit secundum: “Qui sic non facit, peius facit.” Homo exegit tertium. Cui lupus, “Tertium non habeo prae manibus, sed interim quod litori approximamus, inde cogitabo.” Illis ergo prope litus factis, lupus saltu se de nave extulit et, in sicco constitutus, “Quidquid boni perverso fit,” ait, “perditum est ex integro.”

75. Lupi et Rusticus

Rusticus arietem excoriatum portavit ad forum, quem lupi consequebantur. Quibus rusticus, “Quamdiu me sequi proponitis?” Cui lupi, “Quamdiu? Quamdiu arietem portabis.” Et ait rusticus, “Malo arietem dimittere quam tales comites habere.” Et statim arietem proiicit.

76. Lupus et Puer Mendax

Puer mendax, qui patris gregem pascebat, libenter alios ludificabatur. Aliquando ingentem clamorem sustulit, “Auxilio venite; lupus adest!” Accurrunt propere rustici et ridentur. Proximo mense, hunc dolum repetivit. Paulo post, re vera lupus apparet. Iam rursus clamat, “Auxilio venite; lupus adest!” At nemo accurrit. Maiore voce clamat, lacrimat, eiulat; frustra omnia. “Tertium nos decipere vult,” inquiunt rustici. Ita lupus in gregem irrupit et plurimas oves dilaniavit.

77. Lupus Parvulus et Pastor

Pastor, lupum parvulum cum invenisset, eum penes se enutrivit ac, ubi adolevit, pecudes ex vicinis armentis rapere docuit. Quod lupus cum egregie didicisset, “Cave,” olim pastori ait, “ne me rapiendi artem postquam docueris, multas ex tuis gregibus oves desideres.”

78. Lupus cum Canibus Nutritus

Pastor, cum lupi catulum recens natum invenisset, sublatum una cum canibus nutrivit. Postquam autem adolevit, si lupus aliquis forte rapuisset ovem, eum ille quoque cum ceteris canibus insequebatur. At si quando canes eum insequi non valerent et defessi redirent, ipse tamen pergebat donec illum assecutus, secum utpote lupus praedae particeps esset, atque deinde revertebatur. Sin autem lupus nullus in gregem insiliens ovem abripuisset, tum ipse furtim necabat et una cum canibus comedebat; donec pastor, re cognita, eum arbori suspensum occidit.

79. Lupi et Canes, Amici

Lupi canibus olim dixere, “Quid, cum omnino nobis similes sitis, eadem quoque nobiscum mente ut fratres non estis? Et sane nihil a vobis, nisi voluntate, discrepamus. Nos enim in libertate vivimus, vos hominibus subiecti et servi, verberibus obnoxii, vinculis ad collum pressi, et custodiendis gregibus addicti; cum vero cibum sumunt, vobis ossa tantum obiiciunt. Quapropter si nostra vobis amicitia grata est, greges omnes in nostram potestatem tradite omniaque communia erunt, atque nobiscum ad satietatem vescemini.” His dictis paruere canes sed, vix in speluncam cum lupis ingressi, statim ab ipsis dilacerati sunt.

80. Lupus et Canes Duo

Lupus, ex alta specula contemplatus canes geminos, gregis ovium custodes, inter se pugnantes et sese mutuis morsibus dilacerantes, spem concepit posse tuto oves invadere. Magno igitur impetu in oves delatus, cum unam oppido pinguem rapuisset, concite fugiebat. Canes, id conspicati, omissa domestica pugna, lupum fugientem assecuti, tantis illum affecere vulneribus ut vix posset evadere. Cum autem mox ab alio lupo interrogaretur cur solus gregem esset adortus, ubi

tam validi erant propugnatores, “Domestica,” inquit, “pugna deceptus sum.”

81. Lupus et Pastor, Compatres

Contigit quod quidam paterfamilias habuit duodecim oves. Voluit peregrinari et commendavit oves suas lupo, compatri suo, et compater iuravit quod bene conservaret eas. Profectus est statim. Lupus interim cogitavit de ovibus et uno die comedit de una, altera die de alia, ita quod vix tres invenit paterfamilias quando reversus est. Quaerebat a compatre quid factum fuerit de aliis ovibus. Respondit lupus quod mors ex temporalitate venit super eas. Et dixit paterfamilias, “Da mihi pelles,” et inventa sunt vestigia dentium lupi, et ait paterfamilias, “Reus es mortis,” et fecit lupum suspendi.

82. Lupi et Pastores

Cum Philippus rex Macedoniae cum Atheniensibus foedus initurus esset, ea conditione ut oratores suos ipsi traderent, Demosthenes populo narravit fabulam qua iis callidum regis consilium ante oculos poneret. Dixit enim lupos quondam cum pastoribus pactos esse se numquam in posterum greges esse impugnaturos, si canes ipsis dederentur; placuisse stultis pastoribus conditionem sed, cum lupi caulas excubiis nudatas vidissent, eos impetu facto omnem gregem dilaniasse.

83. Lupus Fugiens et Pastor

Cum venatorem instantem fugeret lupus, et pastor vidisset qua parte fugeret et quo se loco absconderet, ille, vehementer metuens, “Oro te, pastor,” inquit, “ne me prodas innocentem. Nihil umquam mali tibi feci.” Et pastor “Noli,” inquit, “timere; alteram venatori monstrabo partem.” Mox venator, cum advolasset, “Pastor, vidistine huc,” inquit, “lupum venientem?” Huic pastor, voce maxima, “Venit ille quidem, sed laeva fugit.” At simul, oculis clam dextram partem designat. Venator non

intellexit nutum et, festinans, abiit. Tum lupum pastor interrogat, “Quam tu mihi habebis gratiam quod te celavi?” Tum ille “Maximas,” inquit, “linguae tuae gratias ago, at oculis tuis fallacibus,” secum murmurans subiecit, “talem gratiam referam, ut ex minore in dies ovium numero cognoscas - quam memor sim meriti tui!”

84. Lupus et Pastorum Convivium

Pastores, caesa ove, convivium celebrabant. Quod cum lupus cerneret, “Ego,” inquit, “si agnum rapuissem, quantus tumultus fieret, at isti impune ovem comedunt!” Tum unus illorum “Nos enim,” inquit, “nostra, non aliena, ove epulamur.”

85. Lupus et Pastoris Vestimentum

Lupus, cui raro iam contigit ut vicino pastori ovem abriperet, vulpeculae dolis sibi opus esse ratus, personam induere statuit. Itaque pastoris vestimento sumpto, baculum fistulamque nactus est ut partes praeclare ageret. Baculum pedibus prioribus tenens, ipsi pastori in gramine artius dormienti appropinquavit, cum canis quoque atque oves dormirent taceretque fistula. Lupus igitur primo tacebat; mox personae dum linguam quoque pastoris addere vult, nescius quo modo vocem eius imitari posset, subito fecit ut silvae resonarent. Ita excitati omnes - pastor, canis, oves - illius fallacias cognoverunt. Ille autem miser, vestibus impeditus, neque ex illa turba effugere nec se defendere potuit.

> *Doli deprehenduntur semper; proinde lupi partes agat lupus.*

86. Lupus Ovis Pelle Indutus

Lupus, ovis pelle indutus, ovium se immiscuit gregi quotidieque aliquam ex eis occidebat. Quod cum pastor animadvertisset, illum in altissima arbore suspendit. Interrogantibus autem ceteris pastoribus cur ovem

suspendisset, aiebat, “Pellis quidem, ut videtis, est ovis; opera autem erant lupi.”

87. Lupi Duo, Oves, et Opilio

Scelesta ventris rabies lupos duos premebat et in gregem urgebat; metus autem impetum reprimebat. Vident quidem pecus imbelle at pariter vident et opilionem validum et canes impigros. Quid agant? Dum unus post dumeta opaca in insidiis cubat, alter it audax, recta via procurrens, contra gentem lanigeram. Quem canes simul adspiciunt, latratibus diris saeviunt ruuntque; accurrit ipse fervidus opilio: “Agite, insequimini, dedam neci.” At lupus, pedibus melior, viribus totis fugit subitque silvam; denique hostes suos eludit. Opilio igitur tristis ad gregem redit et attonitus haeret. Heu! Dum hinc abscedit improvidus, alter iste latro interea irruit praedamque rapuit, et locum, ubi socius saucibus siccis exspectabat, per circuitus notos repetiit.

Haec fabula docet non semper periculum ibi maximum esse ubi maxime eminet.

88. Lupus et Agnus Caprum Comitans

Agno, comitanti caprum, lupus fit obviam rogatque cur, relicta matre, olidum sequatur hircum, suadetque ut ad ubera matris distenta lacte redeat. Ille vero, “Mater mea huic hirco, O lupe, commisit. Huic summa cura meae salutis data est. Parenti potius quam tibi obsequendum, qui me seducere istis dictis quaeris et subductum postea decerpere.”

89. Lupus, Ovis, et Leo

Lupus quondam ovem de medio raptam grege ferebat domum. Cui occurrens, leo illam vi extorsit. Ac lupus, stans procul, “Contra ius mihi mea abstulisti,” clamavit. Quo delectatus, leo lupo respondit, non sine ludibrio, “Iure enim tibi fuerat ab amicis data?”

90. Lupus, Umbra Eius, et Leo

Lupus, in deserta loca pererrans, dum iam sol in occasum vergeret, cum sui umbram valde longam animadvertisset, “Leonem,” inquit, “ego timeo, cum tantus sim, ut iugerum aequem? Nonne prorsus in ceteras feras omnes imperium exercebo?” Dum haec lupus superbe secum cogitat, leo supervenit eumque, dicto citius, devoravit. Quapropter lupus, paenitentia, sed frustra, tactus, exclamabat, “O stulta opinio, quae meae necis causa es!”

91. Lupus et Leones

Lupus quidam robustior inter lupos natus erat, quem “Leonem” cognomine vocabant. Stolidus ille, et gloriae impar ferendae, a tribulibus segregavit se ac cum leonibus conversabatur. Vulpes autem, cavillatrix, “Ne ad sanam mentem tantum,” inquit, “sim umquam reducenda, quantum tu nunc vano fastu intumescis! Quippe qui inter lupos revera leo videris, interque leones rursus comparatione fis lupus.”

92. Lupus et Leo, Amici

Lupus et leo, contracta inter se amicitia, victum quaeritabant. Tum lupus, audito ovium balatu, “Confide,” inquit, “amice; cibus iam aderit.” Secutus ergo ovium vocem, cum ad ovile pervenisset, reperit illud optime munitum et canes prope dormientes. Reversus igitur ad leonem, “Non placet,” inquit, “mihi quod in praesentia edamus oves; macilentae enim admodum sunt. Sinamus eas pinguescere, redituri cum fuerint pingues effectae.”

Fabula arguit qui, impediti ne quid faciant,
se noluisse argumentantur.

93. Lupus Imperator et Asinus

Lupus quidam, qui lupis ceteris imperabat, legem olim tulit ut praedam, quam unusquisque caperet, in medium conferret et ceteris impertiretur. Asinus, his auditis, iubam quatiens atque subridens, “Egregie quidem,” ait,

“O luporum imperator, pronuntiasti. Sed praedam quam tu heri cepisti, quinam tuo in cubili ut ea solus vesci posses, clanculum reposuisti? Agedum, adfer huc illam ut ceteris dividatur.” Ad haec lupus, stupore perculsus, legem protinus abrogavit.

> *Fabula demonstrat quod qui leges definire videntur, ea quae definivere atque iudicavere, ipsi plerumque minime observant.*

94. Lupi et Corvus

Corvus partem praedae petebat a lupis quod eos totum diem comitatus esset. Cui illi “Non tu nos,” inquiunt, “sed praedam sectatus es, idque eo animo ut ne nostris quidem corporibus parceres, si exanimarentur.”

> *Merito in actionibus non spectatur quid fiat, sed quo animo fiat.*

95. Lupus, Corvus, et Aries

Lupus vidit aliquando corvum super arietem sedentem, graviterque suspirans, talia locutus est, “Corvus iste beatus est et felici hora natus, quia, ubicumque sedeat, quidquid dicat, quidquid faciat, non est qui ei male loquatur. Mihi autem, si talis daretur sedes, omnes qui viderent magnis in me vocibus clamitarent, et quasi ad salutem arietis fugare me properarent.”

96. Lupus et Bovis Cadaver

Lupus, senio confectus, cum amplius venari non potest, magna cruciabatur fame, nec aliquem cognatum aut amicum qui eum cibo iuvaret poterat invenire. Dum ergo maestus ingentem peragraret silvam, in bovis cadaver incidit. Quod vix coeperat laniare, cum non solum ceteri lupi, verum etiam vultures, corvi et cornices illuc se contulerant, lupum orantes ut se in amicitiam et in partem praedae admitteret. Tunc secum lupus, “Quem, paulo ante, fratres et filii negligebant, ecce alienigenae

animantes nunc honore prosequuntur et amicum expetunt. Non mihi, sed bovi hunc exhibent honorem."

> *Fabula indicat pauperem cunctis odiosum esse, divitibus vero ab omnibus honorem exhiberi.*

97. Lupus et Histrix

Lupus esuriens in histricem intenderat animum, quem tamen quia sagittis undique munitus erat invadere non audebat. Excogitata autem eum perdendi astutia, illi suadere coepit ne pacis tempore tantum telorum onus tergore portaret, quandoquidem ne alii quidem sagittarii, nisi cum proelii tempus instaret, portarent. Cui histrix "Adversum lupum," inquit, "semper proeliandi tempus esse credendum est."

98. Lupa et Canis

Canis, lupam insequens, crurum pernicitate et robore gloriabatur, fugere lupam credens quod infirmior esset. Conversa autem, illa sic allocuta fertur canem, "Non tam tuas quam domini tui metuo minas."

99. Lupus et Canis Saginatus

Lupus, canem videns bene saginatum, "Quanta est," inquit, "felicitas tua! Tu, ut videtur, laute vivis, at ego fame enecor." Tum canis "Licet," inquit, "mecum in urbem venias et eadem felicitate fruaris." Lupus conditionem accepit. Dum una eunt, animadvertit lupus in collo canis attritos pilos. "Quid hoc est?" inquit; "num iugum sustines? Cervix enim tua tota est glabra." "Nihil est," canis respondit, "sed interdiu me alligant ut noctu sim vigilantior, atque haec sunt vestigia collaris quod cervici circumdari solet." Tum lupus "Vale," inquit, "amice; nihil moror felicitatem servitute emptam!"

100. Lupus Monachus

Lupus, in senium deductus, cum non amplius venari posset, sese religioni addixit, sumptoque monachi habitu, cibum ostiatim mendicabat. Reprehensus ab alio lupo, “Quid vis,” inquit, “faciam? Dentes deciderunt, currere non valeo, quare aliter vivere posse diffido.”

101. Lupus et Presbiter

Presbiter quidam docuit lupum litteras. Presbiter dixit A et lupus similiter. Presbiter dixit B, et lupus similiter. Presbiter dixit C et lupus similiter. “Modo congrega,” ait presbiter, “et sillabica.” Et respondit lupus, “Sillabicare non scio.” Cui presbiter, “Ut tibi melius videtur, sic dicito.” “Mihi videtur quod hoc optime sonat: AGNUS.” Tunc presbiter ait, “Quod in corde, hoc in ore.”

102. Lupus et Sus

Lupus esuriens ivit per silvam, quaerens praedam suam, et invenit suem cum porcellis suis. Lupus dixit, “Bona domina, multum esurio; da mihi unum de porcellis tuis ad ientaculum.” Cui sus, “Amice, concedo quod petis, sed non est adhuc tempus edendi. Audistine hodie missam?” Cui ille, “Non audii.” Et sus, “Provectae enim aetatis es et debes aliquid audire de Deo priusquam comedas. Vocabo enim sacerdotes et clericos et audies officium, et interim parabitur ientaculum tuum.” Et lupus, “Annuo.” Sus igitur, ingrediens silvam, incepit clamare more suo, et statim venerunt omnes apri, sues, porci et porcelli qui fuerunt in silva ad clamorem eius et, invenientes lupum, suis morsibus miserrime dilaniaverunt, ita quod, vix vivus, evadens dixit, “Non fuit haec missa, sed miseria.”

103. Lupi Bonum Facientes

Duo lupi sibi invicem occurrerunt et coeperunt agere inter se quod homines naturaliter lupos odiunt et eos inclamant, etiam cum nihil mali eis facere intendunt. Et dixit unus, “Homines numquam viderunt nos aliquid boni

facere. Sed, si semel viderint nos benefacere, credent deinceps similiter nos facere velle. Exeamus foras de hoc nemore et adiuvemus eos manipulos colligere.” Egressi ergo de silva, in campum venerunt et collegerunt manipulos, sicut condixerant. Nec mora; statim ut viderunt homines lupos in agro, clamore valido sunt eos insecuti. Admirati sunt lupi et dixerunt, “Quid sibi vult hoc, quod nos inclamant isti, cum non malum sed bonum ipsorum moliamur? Redeamus ergo et sicut consuevimus agamus. Sive enim bonum, sive malum fecerimus, homines semper habebunt nos exosos.”

104. Luporum Legati ad Regem

Lupi olim legatos miserunt ad Anglorum regem; unum rogant de genere suo marem unamque feminam in terras eius portare liceat. Rex providus abnuit et “Si isti duo,” dixit, “recipiantur, mox facile crescant in gregem milliarium; etenim malorum genus cito propagatur.”

105. Lupus Esuriens et Nutrix

Nutrix minatur puerum plorantem, ni taceat, se lupo illum tradituram. Lupus, praeteriens, id forte audit et spe praedae manet ad fores. Puer tandem, obrepente somno, silescit. Regreditur lupus in silvas, ieiunus et inanis. Lupa obviam illi habens sciscitatur ubi sit praeda. Cui gemebundus lupus “Verba,” inquit, “mihi data sunt. Puerum plorantem abiicere nutrix minabatur, sed fefellit.”

Multa promittentibus omnes libenter auscultamus.

106. Lupus et Persona Tragoedi

Personam tragoedi lupus in agro invenit, quam semel et iterum vertit. “O quanta species,” ait, “et cerebrum non habet neque sensum!”

Haec fabula de illis dicitur qui gloriam et honorem habent, prudentiam vero nullam.

107. Simia et Catuli Eius

Animalia olim contendebant quis pulcherrimos haberet liberos. Aderant omnia; simia quoque catulos suos brachio gestat. Hac veniente, nullum animalium potuit a risu temperare. Continuo simia exclamat, “Immo nostis catulos meos esse aliis longe pulchriores.”

108. Simia et Gemelli Eius

Simia, ut ferunt, cum peperit gemellos, alterum diligit, alterum negligit. Erat puerpera cum gemellis atque, cum incidisset terror, vitatura periculum, dilectum prehendit ulnis. Quem, dum praeceps fugitat, collidit petrae atque enecat. Neglectus autem, qui in hirsuto haeserat tergo fugientis, mansit incolumis.

109. Simia et Ursus

Simia, quae valde prae omnibus animalibus fetum suum diligit, aliquando fetum suum in brachiis tenens ostendebat urso. At ille, irruens in simiam, fetum rapuit et devoravit. Simia vero, supra modum dolens, coepit cogitare quomodo posset se vindicare. Et, afferens ligna, de nocte posuit illa et disposuit circulariter circa ursum ubi erat relegatus. Et, igne apposito, combussit eum, qui primo parvipendebat quidquid ei simia viribus facere poterat.

> *Multi servi laesi aliquando dominos suos occiderunt vel domos eorum incenderunt.*

110. Simia et Legumina

Rusticus cum sacculo, in quo legumina essent, iter faciens, dum sub arbore acquiescit, forte obdormierat, somno obrepente, ut fit, defatigato. Videt simia sacculum, et quid inesset cognoscendi cupida, accedit et aperit sacculum, leguminibusque repertis, manum unam complet et arborem conscendit. Inter ascendendum, unum forte granulum exciderat. Hoc illa dum non vult relinquere neque amittere, redit in solum et granulum

tollit. Mox repetit arborem, paulo quam prius maiore cum festinatione, in qua rursum granum elabitur unum et alterum. Quae dum et ipsa recolligit, forte excitatus de somno rusticus, clamoribus et saxis illam insectatur. At haec trepida et perterrita, abiectis omnibus leguminibus, fugae studebat, et manus expediebat; ita quae nihil amittere voluisset, nihil retinuit.

111. Simia et Nucleus

Simia libenter comedit nucleum, quia dulcis est, sed, quando gustat de cortice amaritudinem, nucleum interius relinquit et nucem proiicit.

112. Simia et Vulpes, Iter Facientes

Vulpes et simia eundem in locum faciebant iter. Cum per sepulchra eas via duceret, simia ad vulpem “Omnes,” inquit, “quos hic sepultos vides, parentum meorum liberti erant.” “Callide,” respondet vulpes, “mentita es. Nec enim horum quisquam, qui humati sunt, te potest convincere.”

113. Simius Glorians et Vulpecula

Simius olim vulpeculae iactabat suam singularem industriam gestus et habitus exprimendi animalium quorumlibet. Vulpecula refert, “Hoc tibi dabo lubens: nullum animal esse, quod ad speciem imitari non queas. At illud mihi vicissim dabis: nullum inveniri, quod te imitari velit.”

114. Simia et Vulpis Cauda

Simia sentiens se nudam retro et videns ex adverso vulpem praelonga ac larga cauda instructam, coepit eam rogare ut sibi partem caudae suae daret ad tegendas nates; ita enim fieri communi utriusque emolumento, ut illa importuno onere levaretur, ipsa iuvaretur. Ad quae vulpes, nasum torquens, “Oppido quam falleris, soror,” ait, “cauda enim mea non oneri, sed honori meo servit et, utut sit, mallem ea terram verrere quam tuas tegere

impuras nates; ita quaeque nostrum, suis contenta, vivat."

115. Simia Regina et Vulpes

Simia, viso solio unde rex paulo ante discesserat, accurrit et illud occupat. Accedit deridens hanc vulpecula et ecquid imperet rogat. Simia astare illam et contemplari se reginam iubet. "Immo ego," inquit vulpes, "ut celeriter hinc te abripias, suadeo." Sed superbe despicientem dicta vulpis simiam canes, qui ante revertentem regem procurrerant, invadunt atque iam paventem et trepidam mordicus arripiunt et laceram et semivivam vix tandem amittunt, deplorantem illam et cupiditatum et stultitiae damna.

116. Simius Rex et Vulpes

In quadam brutorum animalia corona, simius saltabat. Qua quidem in re cum se mirifice atque egregie tulisset, rex ab illis extemplo renuntiatur. Ei vero vulpes invidens, cum laqueo suppositas carnes alicubi vidisset, eum illuc adduxit et has inquit a se repertas; iuxta leges non sibi sumpsisse, sed muneri ei debitas servasse, ac simul ut capiat hortatur. Tum simius, inconsulto accedens, ut laqueo irretitum se sentit, vulpem ut dolosam insidiosamque incusat. Ei vero vulpes "Tune," inquit, "O simie, fortuna talem ad dignitatem evectus, brutis animantibus dominaris?"

> *Fabula ostendit eos quoque, qui res inconsiderate aggrediuntur, praeter calamitates, deridiculos etiam esse.*

117. Simia, Vulpes, Elephantus, Castor et Pavo

Simia, contemplans pelle nitida vulpem, "O quanta," inquit, "benignitate erga te Natura usa est, et quanta me affecit deformitate." Cuius errorem ut refelleret, "Venito mecum," inquit vulpes. Mox obviam fit illis elephantus, cui essent dentes fracti. Hunc vulpes interrogat, "Quae vis

dentes tuos frangere potuerit?” “Cupiditas,” inquit ille, “hominum.” Progressi longius aspiciunt cruentum castorem, cui adempta essent membra virilia. Causam eius mali percontata, vulpes cognoscit quod ipse sibi praemordisset membra, cum ob ea se peti sciret. Digressi ab hoc, vident pavonem, cui essent pennae et de caudae et de alis revulsae. Pavo “Homo,” inquit, “pulchritudine captus, pennas rapuit sibi.” Tum simiae vulpes “Videsne,” inquit, “divitias et copiam eorum, quae magnifieri et placere solent, non reddere beatos possessores suos.”

118. Simiae et Viatores Duo

Duo socii semel debuerunt per desertum transire, et dixit alter, “Firmabo tecum quod plus lucrabor per falsitatem quam tu per veritatem.” Statuta firmatione, incidit mendax in quandam congregationem simiarum. Et dixerunt simiae, “Quid tibi videtur de nobis?” Dixit mendax, “Vos estis pulcherrima inter omnia animantia super terram, et homines assimulantur vobis; numquam vidi tam pulchram congregationem.” Simiae autem propter talia verba multum ipsum honorabant; aurum et argentum dederunt. Venit alius veridicus, et simiae quaerebant quid ei videretur de illa congregatione. Qui respondit dicens, “Numquam vidi tam turpem, tam foedam congregationem.” Et iratae simiae verbaverunt eum egregie, quod vix evasit.

Quandoque nocet omnia vera loqui.

119. Simius Iudex, Serpens, et Vir

Serpens, ingenti oppressus saxo, rogavit virum, illac iter habentem, ut a se onus amoliretur, pollicitus ingentem se illi thesaurum, si hoc faceret, daturum. Quod cum vir mitis fecisset, non modo promissa non solvebat, sed hominem morte dignum esse dicebat. Dum ita contenderent, accidit ut simius illac transiret qui, iudex et arbiter electus, “Non possum,” inquit, “inter vos tantas componere lites, nisi videro prius quo pacto serpens sub saxo stabat.” Cum ergo vir serpenti saxum

imposuisset, inquit simius, “Ingratum animal sub saxo relinquendum censeo.”

120. Simia, Camelus, et Elephantus

Cum de rege e suis eligendo agerent bruta, camelus et elephantus progressi inter se contendebant, ambo ceteris ob corporis molem et robur praelatum iri sperantes. At simia utrosque imperio ineptos esse affirmavit: camelum quidem quod bilem ad iniustos puniendos non haberet; elephantum vero quod, si regnaret, a porcellorum insidiis summopere esset metuendum.

121. Simia, Apothecae Custos

Quidam habebat simiam in apotheca sua, ita sagax quod nullus aliquid furari poterat, simia quin videret. Mercator quidam dixit domino apothecae quod vellet aliquid furtivo subtrahere de apotheca, non obstante simia. Pactum faciunt pro certa pecunia. Mercator apothecam intravit, signa coram simia faciens, modo os aperiendo, modo nasum recurvando, modo oculos cum duobus digitis claudendo. Simia autem, sic etiam volens facere, oculos cum duobus digitis claudebat et medio tempore mercator pecuniam auferebat. Dominus vero, videns quod simia sic decepta erat, eam percutit. Altera vero die, iterum mercator in apothecam intravit, volens simiam eodem modo decipere oculos cum duobus digitis claudendo. Hoc videns simia, econtra oculos cum duobus digitis fortissime aperiens, quod secundario non posset decipi mercatori indicabat.

122. Simius et Fabri

Simiolus contemplabatur de arbore fabri artificium; ille forte cuneis arborem findebat. Erat autem prandii tempus, ad quod faber discedens relinquit impactum in trunco ferrum. Simiolus, ut viderat fabrum facere, supra arborem insilit et cruribus divaricatis arripit securim, sed pedes terram non attingebant. Itaque illius super arbore

insidentis pudendula in fissura, quam cuneus efficiebat, dependebant. Ipse, nihil cogitans quid accidere posset, cuneum excutebat, iterum impacturus quemadmodum fecerat faber. Sed cum robur, ut natura ferebat, coiret, pudendaque simioli arrepta angerentur. Clamans ille et eiulans haerebat captus, at fabri excitati cum risu, re cognita, male illum verberibus insuper mulctatum dimittunt.

Quam quisque novit artem, in ea se exerceat.

123. Simia et Piscatores

Simia, procera quadam in arbore sedens, cum piscatores ad flumen quoddam retia ferentes vidisset, sedulo quae ab iis gerebantur observabat. Ipsi itaque cum retia iecissent ac paulum ut cibum sumerent recessissent, simia, confestim ex arbore descendens, eos imitari conabatur (aiunt enim hoc animal imitandi studio quam maxime teneri). Retibus vero vix tactis, comprehensa simia iamiam demergebatur. Quamobrem ad se conversa, “Digna quidem patior,” inquit, “quid enim piscandi ignara, piscari volui?”

124. Simiae et Urbs

Referebatur quodam in conventu simiarum de condenda urbe, quam simiarum genus teneret atque incoleret. Placebatque plerisque etiam hac in parte hominum imitari industriam. Sed hoc aetate aliis provectior simia magnopere dissuadebat, contraque innumera commoda quae audierat a multitudine commemorari, unum aiebat malum inesse in re quod opponi posset, quia intra moenia, quasi cavea inclusae, omnibus validioribus bestiis praeda futurae essent.

Monet fabula non solum videndum quid in aliqua re boni, sed etiam quid mali insit.

125. Simiae Saltantes

Rex quidam Aegyptius aliquot simias instituit ut saltarent. Ut enim nullum animal ad figuram hominis propius accedit, ita nec aliud hominem melius imitatur. Vestibus igitur ornatae pulchris saltare solebant. Diu miris modis placebat spectaculum, donec e spectatoribus facetus quidam nuces in medium abiecit. Ibi statim simiae, simul atque nuces vidissent, oblitae saltandi, dilaceratis vestibus, non sine maximo spectatorum risu, pro nucibus inter se pugnabant.

126. Simius Decoratus

Simius, politi et lepidi et urbani famam captare volens, munditiam exquisitam et omnem ornatum hominis pulchelli induit. Ita decoratus, conventum celebrem petit; magnam confidentiam rite praefert ac pro troffulo elegante sese gerit. Continuo meritis talibus honor habetur, at ille, gaudio gestiens ubi vult loqui, omnes pudere coepit quod animal ineptum honoraverint. Abiguntque et foras eiiciunt.

> *Fabula hos monet qui ornatu corporis splendido abundant sed sensu communi carent.*

127. Simius et Hominis Imago

Simius forte hominis belli imaginem, eleganter pictam, in aula suspensam vidit. “Ha, ha, he,” inquit, “quis istum ornatum et vestes tam elegantes imagini meae addidit? Ego namque certe is ipse sum; hoc caput meum est, mea haec labella, haec mea frons, haec lumina mea.” Aliquis audivit et, cum bestiam impudentem ipsis veritatis viribus refellere vellet, speculum e pariete detractum obiicit. Sed ille de dolo malo queritur et speculum infidele obiici clamitat.

> *Quem amor sui stultus tenet, sibi somnia quaeque absurda fingere fere solet.*

128. Simius et Speculum

Simius, qui nesciebat qualis esset et se putabat bellulum, effigiem suam vidit a speculo fideli redditam. Ratus simulacrum tale nihil ad se attinere, gaudet videndo; subamarus ridet, et iocos acres in bestiam inficetam iacit, et artificis manum industriam laudat. Sed aliquis dixit, “Heus, te ignoras? Tua est ipsa haec imago.” Simius hic asperam vim veritatis porro sentit et iam speculum damnare incipit, quod prius laudaverat.

129. Simius et Circulator

Circulator quidam, splendide vestitus et specie ornamentorum illustris, a simio conspectus forte fuit et fatigatus precibus ut sibi quoque vestem similem atque ornatum tribueret. Hoc ille se facturum promisit, sed “Necesse est,” inquit, “ut catenula quoque devinciri te sinas.” Atque ita prolatam vestem valde pulchram auroque distinctam iussit accipere hanc et induere simium, sed ea qua dictum esset conditione. Simius, splendore vestis inescatus et mirifice cupidus illius amictus, simul etiam catenulam iniici sibi patitur, qua alligatus servitutem postea in vinculis perpeti coactus est.

130. Ursa et Vulpes

Ursa olim se magnifice iactabat quod prae ceteris animalibus amica hominis esset; eam enim ferunt humanis cadaveribus vesci non solere. Risit vulpes, his auditis, atque ad eam dixit, “O utinam mortuos, non vivos devorares!”

131. Ursae Catuli et Leaena

Cum quaedam ursa laboriose et anxie lamberet ut catulos suos figuraret, leaena vidit et “Lambe,” ait, “quantum voles; non fiet ut ursos non educaveris.”

Cura elegantem raro reddit hunc librum,
quem semel partus infelix informem dedit.

132. Ursus, Leo, et Vulpes

Leo et ursus, simul magnum adepti hinnulum, de eo concertabant. Graviter autem a se ipsis affecti, ut ex multa pugna etiam vertigine corriperentur, defatigati iacebant. Vulpes interea, circumcirca eundo, ubi prostratos eos vidit et hinnulum in medio iacentem, hunc, per utrosque percurrendo, rapuit fugiensque abivit. At illi videbant quidem furacem vulpem sed, quia non potuerunt surgere, “Eheu nos miseros,” dicebant, “qui vulpi laboravimus.”

133. Ursus et Apes

Ursus, ab ape ictus, tanta ira incensus est ut alvaria unguibus discerperet. Tunc autem apes universae ursum aggressae sunt aculeis et paene necaverunt. Cum vix effugisset, secum “Sane,” inquit, “melius erat unius apis tolerare aculeum quam tot in me hostes excitare iracundia mea.”

134. Ursus et Uxor Eius

Ursus, dum forte cum uxore rixaretur, oculum illi eruit. Sed postea paenitens, tanto dolore affectus est ut ungues sibi mordicus praecideret. Deinde cum inter loquendum diceret prae suo in ursam amore se propriis armis exuisse. “Quid,” inquit uxor, “istud mihi luscae nunc prodest? Antequam oculum mihi erueres, istud faciendum fuit.”

135. Ursus et Amici Duo

Duo amici una faciunt iter. Occurrit in itinere ursus. Alter arborem conscendit et periculum evitat; alter, cum meminisset illam bestiam cadavera non attingere, humi sese prosternit animamque continet, se mortuum esse simulans. Accedit ursus, contrectat iacentem, os suum ad hominis os auresque admovet, cadaver esse ratus, discedit. Postea, cum socius quaereret quidnam ei ursus

dixisset in aurem, respondit, “Monuit ne confiderem amico, cuius fidem adverso tempore non essem expertus.”

Amicus certus in re incerta cernitur.

136. Ursus Cornua Cupiens

Quaerebat ex urso lupus quare caput semper demissum gereret. “Quia,” inquit ursus, “debile illud est et infirmum.” “At tu,” inquit lupus, “cornibus armato, quemadmodum armata esse capita taurorum cernis.” “Quis hoc,” inquit ursus “praestare mihi poterit?” “Multa,” inquit lupus, “homines norunt, quos Natura singulari ingenio et industria instruxit. Inter eos igitur huius rei artificem quaeres.” Ursus paruit monitis lupi, et hominem invenit tandem qui cornua se additurum ipsi profiteretur. Tum artifex “Nunc perforabo,” inquit, “eam capitis partem, cui tu potissimum inseri cornua volueris.” “Minime,” inquit ursus; “desiperem enim, si hoc fieri permitterem.” “At ego aliter,” inquit artifex, “cornutum te reddere non potero.” “Carebo igitur,” inquit ursus, “potius cornibus, quorum cupiditas utinam non aures mutilasset meas.”

137. Ursus et Homo Solitarius

Aliquis in nemus confragosum se abdiderat, vitam solitariam agere obstinatus. Attamen, cum solitudo taedium grave afferret, arcto societatis vinculo ursum sibi iunxit, nemoris eiusdem incolam, qui, stimulo amoris singularis percitus, socium curis utilibus et laboribus iuvare nititur, et officiorum quovis genere, quantum ingenium agreste sinit. Modo venator diligens nemus omne ipsi lustrat et praedam affert qua potitus est; modo ianitor fidus casam ipsi servat. Etiamque muscas abigere didicit, si per dies aestivos homini dormienti viderit molestas esse. Sed olim, cum una instaret hominis genas pungere contumacius et abacta saepe semper huc reverteret, lapidem arripuit quem robore magno vibrans impegit, et leto dedit muscam et hominem.

Amicus stultus saepe inimico plus nocet.

138. Panthera et Rustici

In fossam delapsa panthera, accurrentibus rusticis supplicat, ne se innocentem et quae nulli ipsorum umquam damnum dederit, affligant. Hoc alii fieri oportere censent, alii insuper miserati illam, cibum offerunt. Neque defuere tamen qui fustibus et saxis male illam mulctarent et pro mortua semianimem relinquerent. Noctu panthera cum vires suas recollegisset, saltu e fossa evasit, et in silvas se recepit. Postea in illius loci rusticos hostiliter grassabatur, ac metuentibus iratae impetum universis, “Ego scio et novi,” inquit, “quibus meus casus dolori fuerit, qui mihi cibos proiecerint, sed neque illi a me ignorantur, a quibus pulsata et icta vulnerataque sum.”

> *Fabula monet ut miseris et in mala praecipitatis parcere velimus, ne, fortuna instaurata, accepta damna et contumelias ulciscantur.*

139. Tigris et Venatores

Raptis tigris fetibus, dum veloci cursu venatores insequitur, ipsi timentes sibi de crudelitate bestiae, speculum vitreum amplum in via proiiciunt. Tigris vero dum imaginem suam in speculo cernit, a cursu suo subsistit, aestimans fetum suum reperisse. Dum autem imaginem illam amplectitur et ibidem commoratur, venatores evadunt. Ipsa autem, tandem pede fracto speculo, nihil reperit et ita fetus suos amittit.

140. Pardalis et Simiae

Pardalis animal est simiis infensissimum, sed viribus impar. Unde, cum aperta vi simias non possit invadere, arte expugnat et vincit. Sternit se sub foliis et ramis supinum et, extensis in altum pedibus, fingit se mortuum. Hoc spectaculo gavisae, simiae una post alteram ex arboribus descendunt; illudunt ficto mortuo et, eius arte elusae, audaciores ac deposito metu conscendunt, conculcant, tripudiant, donec pardalis, sentiens eas

longo suo ludo defatigatas, aliam strangulat, aliam unguibus lacerat, aliam pedibus stringens dilaniat.

141. Hyaenae, Masculus et Femina

Hyaenas singulis annis naturam mutare ferunt, et qui modo mas fuit, deinde in feminam converti. Cum olim itaque hyaena masculus contra Naturae leges cum femina coire vellet, “Heus tu,” illa ait, “ne quid tale facias; haec eadem enim mox ipse patieris.”

142. Rhinoceros et Vulpes

Rhinoceros animal est robustum et grande, corio duro et squamato quasi clypeatum, naso cornuto, unde et nomen sortitum fuit. Huius generis unus, conspecto quodam corvo insidente rupi, declaraturus robur suum, omnibus viribus et summa contentione in rupem impetum facit, tamquam hanc eversurus et deturbaturus corvum. Sed, incursione concitatissima fracto cornu, irridetur a praetereunte vulpecula, quae docet aliis ferramentis ad rupes demoliendas opus esse.

Fabula docet audaciae vires et robur,
expers prudentiae, saepe exitiosum esse.

143. Camelus et Iuppiter

Camelus, se despiciens, querebatur tauros ire geminis cornibus insignes, se inermem obiectum esse ceteris animalibus; orat Iovem cornua sibi donare. Iuppiter cameli stultitiam ridet; nec modo negat votum, verum et decurtat bestiae auriculas.

Quisque sit contentus sua Fortuna; etenim
multi, meliorem secuti, peiorem incurrere.

144. Camelus Primo Conspicatus

Qui camelum primus conspicatus est, effugit; qui secundus, appropinquavit; qui tertius, frenum fecit, quo eum duceret.

Nam quod primo novum ac terribile videtur, mox usu cotidiano solita res fit ac mansueta.

145. Camelus et Simia

Simia olim in brutorum congressu saltabat, quae, cum plausus ab omnibus summasque laudes reportaret, camelus, invidia excitatus, in medium et ipse processit atque saltare coepit. Id ille cum valde incomposite atque inepte faceret, bruta animalia indignata fustibus abegerunt.

Eos omnino haec fabula carpit qui, invidia ducti, cum praestantioribus contendunt atque spe plurimum decipiuntur.

146. Camelus Flumen Transiens

Camelus flumen transibat, quod magno aquarum impetu ferebatur. In quo cum forte alvum exonerasset, et excrementa ante se statim ferri undarum violentia vidisset, "Quid istud rei est," inquit, "quod, quae retro me esse solent, ante me ferri videam?"

Haec fabula de ea urbe narrari posset, in qua penes infimos ac stultos homines imperii summa est, neglectis praecipuis atque prudentibus viris.

147. Onager Asino Invidens

Onager, prostratum in sole mansuetum asinum cernens, beatum illum iudicabat animo suo, qui et cute nitida et bene habito corpore esset. Mox videns eundem et onera ferre et ab agitatore fustibus caedi, "Non ego te," inquit, "magis beatum esse duco; intellego enim cum quanta calamitate tua bona confusa sint."

148. Onager, Asinus, et Leo

Onager, asinum videns grave portantem onus eique servitutem exprobrans, ita est allocutus, "Felix vere ego, qui libertate fruor, otio indulgeo et alimenta in montibus

ultro sine labore invenio. Tu contra ab alio exspectas alimenta continuisque servitiis et verberibus laceraris." Dum se sic iactat, confestim apparet leo. Asinum, quod agaso aderat, leo relinquit intactum. In onagrum autem, qui solus erat, vehementem facit impetum eumque epulatur.

Qui nullius imperio parent et nullo consilio flecti possunt, ii pertinacia et solitudine sua imprudentes pereunt.

149. Aper et Vulpes

Stabat olim aper iuxta arborem dentesque acuebat. Quem cum vulpes vidisset, "Quidnam dentes acuis," inquit, "dum nulla necessitas adest, neque venator neque periculum imminet ullum?" Cui aper "Haud frustra id ago," respondit, "nam si periculum aliquando contigerit, non tunc in acuendis dentibus tempus teram, sed utar promptis et bene paratis."

150. Aper et Asinus Iocans

Asinus, occurrens apro, cachinnis illum iocose excepit, percontatus de moribus eius et parentibus et liberali educatione, inquiens praeterea se servulum sibi futurum et si quid foret quod illi in mandatis praeciperet. Cui torvus et iracundus aper ait, "Abi, insulsum animal! Nolo os contaminare colloquio tam vecordis beluae."

151. Aper et Asinus Pugnantes

Aper, asinum ad certamen provocans, sperabat se victorem fore quod longiores acutioresque sibi quam adversario dentes essent. Sed, cum asino propinquasset, ferratis pedibus percussus, cecidit semimortuus. Paulo post, ad se reversus, "Non istinc me laedi," inquit, "credebam."

Fabula indicat virum prudentem omnia explorare debere, unde ab adversario possit offendi.

152. Aper et Rusticus

Apro vastanti segetes rusticus praecidit auriculam. Iterum deprehenso, praecidit alteram. Et tunc quoque redeuntem capit; captum portat in urbem, destinatum lautitiae sui patroni. Secta iam in convivio belua nusquam apparet cor. Excandescente hero et flagitante coquos, villicus respondet, “Patrone,” inquit, “non est mirum non apparere cor. Nam credo stultum aprum numquam cor habuisse. Nam, si cor habuisset, numquam in poenam suam ad meas segetes toties rediisset.” Sic rusticus; at omnes convivae emoriebantur risu, cachinnantes de stultitia rustici.

> *Multorum hominum est excors vita, ut an cor habeant possis ambigere.*

153. Cervus et Hinnulus Eius

Cervus, praegrandi corpore et qui cornua habuit ingentia, per silvas grassabatur. Cui hinnulus accedens inquit, “Mi pater, pro miraculo mihi est quod, cum sis tam praegrandi corpore et cornua habeas tam praeclara, te latratus canum exhorrescere.” Cui cervus, “Mi fili, magnum habeo, fateor, corpus et cornua comparia, sed sane cor pusillum.”

> *Fabula indicat magno camino parvulum non suffecturum ignem.*

154. Cerva, Hinnulus, et Sagittarius

Cerva, dum esset in pascuis, coepit instruere hinnulum suum. Interim accidit quod venatorem obvium habuerunt, et illa dixit, “Hic est ille, quem te oportet maxime timere.” Cui ille, “Ego quidem eum novi. Sed timendus non est, quia ipsum pavidum esse vidi. Consideravi enim quod, cum de equo descendit, ipsum inter nos medium statuit quia nos expavit. Perpendo etiam timorem ipsius ex hoc quod quasi latitando vadit, densissimis se rubis immergens. Sed quid est hoc quod manu gerit?”
Mater ait, “Lignum hoc curvum valde pericolosum est et illud quod in media corda tenetur maxime timendum.”

Cui parvulus, “Si adeo periculosa sunt, cur ea toto conamine trahit ad se?” Inquit mater, “Quanto magis ea ad se traxerit, tanto citius ad nos perveniet.”

155. Cervus et Amici Eius

Cervus, morbo correptus, in loco campestri procubuerat. Ferae autem, quae illum visitatum venerant, pabula quae strata fuerant cervo, devorarunt. Ut vero postea paululum convaluit cervus, inopia oppressus, vitam cum pabulo perdidit.

> *Haec fabula carpit eos qui nimios et stultos habent amicos, ex eis plus damni quam emolumenti capiunt.*

156. Cervus et Vitis

Fugiens venatores, cerva sub vite latebat. Mox frondibus vitis vesci incepit. Ramos vero agitatos venatores videntes, sagittis cervam confecere. Moriens ait, “Haec merito patior, quia viti bene facienti nocebam.”

157. Cervus ad Stabulum Confugiens

Persecutus a canibus, cervus ad stabulum boum confugiebat et ibi totum corpus, praeterquam cornua, abscondebat. Adibat stabulum servus et ille, oscitanter et negligenter huc et illuc oculos circumferens, mox decessit. Fortunae suae nimis applausit laetabundus cervus et sese tutissimum autumabat. Sed statim, ipso hero ingrediente locum, et rebus curiosius perlustratis, cornua cervi detexit et fustibus cum vicinis adoriebatur.

158. Cerva, Leo, et Pastor

Cervam insequebatur leo. Illa fuga evadit densoque quodam abdit se in nemore. Leo vero qui quantum robore cervam vincit, tantum velocitate a cerva vincitur, nemus adit quaeritque ex pastore sicubi latitantem vidisset cervam. Negat pastor simulque manu protensa locum ostendit, atque ita cervam miserrimam invadit leo.

Vulpecula autem, “Nae tu,” inquit pastori, “imbellis simul improbusque es: coram leone quidem imbellis, improbus vero in cervam.”

159. Cerva in Speluncam Fugiens

Cerva, venatores fugiens, in speluncam quamdam, ubi leo degebat, pervenit ut in ea nimirum ingressa lateret. Sed illico ab eo comprehensa necique parata, “Ah me infelicem,” exclamavit, “quae fugiens homines, ferae me tradidi!”

> *Ita nonnulli hominum, minoribus periculis territi, maiora se in mala coniiciunt.*

160. Cervus et Leaena Mortua

Leo omnes quadrupedes ad defunctae uxoris exsequias honestandas invitarat. Cunctis igitur aliis mortem reginae ineffabili dolore prosequentibus, solus cervus, cui illa filios eripuerat, expers doloris, nullas lacrimas emittebat. Quod leo percipiens, accersitum ad se cervum ut illum perimeret, interrogat cur non cum aliis reginae mortem fleat. Cui ille “Fecissem,” inquit, “nisi me hoc facere prohibuisset: advenienti enim mihi felix eius anima, ad Elysias sedes proficiscens, apparuit, dicens eius discessum non lugendum, cum ad amoena vireta fortunatorum nemorum sedesque beatas proficisceretur.” Haec leo audiens laetatus est, cervoque veniam dedit.

> *Fabula indicat viri prudentis officium esse interdum fingere, et sese a potentium furore honesta excusatione tutari.*

161. Cervus et Cornua Eius

Cervus ad fontem stabat, sitiens, ut biberet aquam. Hic dum in aqua videt effigiem suam, tenuitatem crurum vituperat, laetatur vero forma cornuum. Repente venatores adsunt eumque persequuntur. Quamdiu per campum fugam facit, pernicitate pedum evadit. Cum vero imprudens attingisset silvam, cornua sunt

implicita ramis. Comprehensus deinde, cum luctu haec verba edidit, “Heu misero mihi, qui iis quae vituperaram servatus sum; quibus autem gloriatus fueram, perii.”

162. Cervus Oculo Captus

Cervus, altero oculo captus, iuxta mare pasci consueverat ita ut integrum oculum in terram haberet versum; nihil enim periculi videbatur e mari impendere. Cum autem forte navis praeterveheretur, qui in illa erant, directa in cervum sagitta, incautum confixere. Ille ictus, “Me miserum,” inquit, “quantopere deceptus fui, qui a terra metui, undis fretus, e quibus mihi mors immittitur.”

163. Lepus Cornua Cupiens

Lepus vidit cervum, magno corpore et erectis cornibus gloriosum et, suam parvitatem aegre ferens, Iovem adiit, volens de humili sua conditione querimoniam facere. Et ait Iovi, “Tibi, quia creator es et dominus, de humili sorte meae conditionis conqueror, quia, cum ceterae bestiae diversis Naturae muneribus sunt superbae, nihil mihi collatum est, nisi pedum levitas ad fugam habilis. Rogo ergo te, Creator, ut talia per te habeam cornua qualia cervus habet,” et exauditus est a Iove. Receptisque cornibus onerata fronte, currere nequivit, sed et repere vix potuit, et sic plus rogaverat quam portare posset.

> *Sic multi magnis honoribus inhiant, quibus adeptis, cum eos gerere nesciant, viliores fiunt quam prius fuerant.*

164. Lepores et Ranae

Olim lepus quidam socios in hunc modum allocutus est: “Vita nostra miserrima est, assiduo enim metu terremur. Melius mihi videtur vitam finire.” Hoc audito, succlamant omnes se mori velle. Venerunt igitur ad lacum seque in aquam praecipitare parant. Vident autem subitum aquarum tumultum; ranae enim, leporum adventu

territae, in algas ruebant. Tum lepus quidam “Heu,” inquit, “et alios, ecce, vexat timor malorum. Feramus vitae incommoda ut ceteri; mala enim levat patientia.”

165. Lepores et Aquilae

Lepores olim cum aquilis bellum gerentes in auxilium vulpes vocarunt. Hae vero hoc illis responsum dedere, “Vobis quidem suppetias ferremus, nisi qui vos et cum quibus sit decertandum nosceremus.”

166. Lepores et Leones

Quodam tempore visum est omnibus bestiis conventum et coetum habere, quod aliarum de aliis frequentissimae querelae essent. Ubi dictis ultro citroque sententiis, lepores ita contionatos perhibent: videri sibi aequum omnium ut bestiarum eadem sit dignitas et par potestas, neque oportere alias tanto plus, alias minus valere; hoc enim pacto fieri ut inferiores praestantibus direptioni et praedae sint. Quibus dictis, oblocutos leones accepimus orationi leporinae deesse ungues et dentes.

Fabula docet fortem orationem, nisi etiam viribus sit fulta, a potentioribus derideri.

167. Lepus et Leonis Imperium

Leo quidam regnabat, non iracundus, neque crudelis, nec qui semper vires amaret, sed mansuetus ac iustus, velut hominum aliquis. Sub eius igitur imperio, narrant silvestrium habitum fuisse concilium animantium, quo vicissim darent poenas ferae cunctae vel acciperent invicem. Cum autem piacula luerent lupus agno, rupicaprae pardus, cervo tigris, et pax esset ubique, pavidus sic est locutus lepus, “Ast mihi hicce dies semper erat in votis, qui violentis quoque animalibus metuenda faciet quae sunt invalida.”

168. Lepus et Homines Simplices

Quidam simplices fuerunt ad terminum quo debuerunt solvere redditus domino, et non habuerunt nuntium qui ita cito posset negotium peragere. Dixerunt ad invicem, “Quid faciemus, quod terminus adest?” Dixerunt quidam, “Lepus est animal scilicet velox; suspendamus in collo eius bursam cum censu et iniungamus ei quod cito deferat ad curiam domini nostri.” Sic fecerunt, et lepus cum bursa et censu cucurrit ad nemus quantum potuit quod homines nesciebant quo devenerit.

169. Lepus et Lupus, Contendentes

Lupus et lepus sibi obviaverunt, et ait lupus, “Super omnia es animal meticulosum. Auderesne contendere cum aliquo animali?” “Certe,” ait lepus; “ita tecum, licet grande corpus habeas et ego modicum.” Lupus indignatus ait, “Certe firmabo decem aureos contra unum quod te vincam.” “Certe placet,” ait lepus, et constituti sunt in campo ad pugnandum. Lupus currebat versus leporem ad capiendum et devorandum; lepus fugam arripuit et lupus insequebatur. Sed lepus velocius currebat. Lupus, iam fatigatus, gressum sistebat et super terram se proiecit. Amplius currere non poterat. Et ait lepus, “Ego non pugno, nisi cum pedibus, nisi fugiendo. Sic saepe cum canibus pugnavi et vici. Et tu, victus, redde quod debes.”

170. Lepus, Canis, et Caprarius

Ex fruticeto leporem villosipedem quem excitaverat, insequebatur canis, venandi non imperitus. Cursu tamen fuit impar, et caprarius quidam dixit per iocum, “Quantula bestia reperta fuit te velocior?” Cui canis, “Currit aliquis aliter alium rapere qui cupit, et aliter alium qui ex malo servat.”

171. Lepus et Canis

Canis, leporem insequens, prehenderat eumque interdum mordebat, interdum fluentem ex vulnere

lambebat sanguinem. Lepus ergo, credens canem malle osculari se, conversus ad illum, “Aut me amice,” inquit, “complectere, aut hostiliter morsu neca.”

172. Lepus, Vulpes, et Canis

Vulpes, cum fugaretur a cane et iamiam esset capienda nec ullam aliam evadendi viam invenire se posse cognosceret, “Quid me,” inquit, “O canis, perdere cupis, cuius caro tibi usui esse non potest? Cape potius leporem illum (non procul enim lepus aberat) cuius carnem suavissimam mortales esse commemorant.” Canis igitur, motus consilio vulpis, omissa vulpe, leporem insecutus est, quem tamen ob incredibilem eius velocitatem capere non potuit. Paucis post diebus, lepus, conveniens vulpem, vehementer eam accusabat (verba enim eius audierat) quod se cani demonstrasset. Cui vulpes, “Quid me accusas, lepus, quae te tantopere laudavi? Quid diceres, si te vituperassem?”

173. Lepores, Canes, et Vulpes

Lepores, cum canum impetus effugere semper cogerentur, ad vulpinam gentem supplicatum denique misere, auxiliares copias sibi commodare vellet. Vulpes, quas odium vetus et ira acris adversus canes stimulat, auxilia spondent. Coeunt; ad pugnae locum properant frequentes, at leporibus iubent stare otiosos ne forte, solita timiditate exterriti, animos strenue dimicantum corrumpant. Lepores promittunt se his inertiae legibus, quamquam turpibus, obsecuturos fore. Placidi ergo pugnam spectant. Postmodum tamen, cum vident vulpium phalanges, et numero et astu superiores, canibus praevalere, concurrere audent, si partem aliquam laudis et victoriae sibi asserere queant. Sed, ubi propius in taeterrimis hostium vultibus intuentur, omnes simul fugere et exemplo malo turmis socialibus suasere ut similem fugam caperent.

Bellicosos solos pugnare expedit; imbellium
agmen officit, nedum adiuvet.

174. Lepus et Vulpes, Contendentes

Orta est aliquando contentio vulpem inter et leporem de nobilitate et praestantia. “Ego te,” dicebat lepus vulpi, “praecello cursu.” “Ego te,” respondebat vulpes, “mente.” Ille, “Sum te velocior pedibus.” Ista, “Ego ingenio, quo venatorum retia et plagas et canes saepius eludo quam tu celeritate pedum.”

175. Lepus et Vulpes apud Iovem

Lepus et vulpes a Iove petebant: haec ut calliditati suae pedum celeritatem, ille ut velocitati suae calliditatem adiungeret. Quibus Iuppiter ita respondit, “Ab origine mundi e sinu nostro liberalissime singulis animantibus sua munera sumus elargiti; uni autem omnia dedisse aliorum fuisset iniuria.”

176. Lepus in Puteo et Vulpes

Lepus, sitim ut aqua extingueret, in puteum descenderat largisque haustibus se satiaverat. Inde cum vult reverti, occlusa via, inops consilii, vehementer se cruciat. Quod animadvertens vulpes, quae forte illum ibi offenderat, “Maximo,” inquit, “mehercule versaris in periculo. Sed prius te oportuit deliberare, qua via ex puteo posses ascendere, ac deinde demum descendere.”

177. Cuniculus et Aquila

Aquila, in altissima arbore nidulata, catulos cuniculi, qui longe illic pascebantur, in escam pullorum suorum rapuerat. Quam cuniculus blandis orabat verbis ut suos sibi filios restituere dignaretur. At illa eum ut pusillum et terrestre animal et ad sibi nocendum impotens arbitrata, eos in conspectu matris unguibus dilacerare et pullis suis epulandos apponere non dubitavit. Tunc cuniculus, filiorum morte commotus, hanc iniuriam minime impunitam abire permisit. Arborem enim, quae nidum sustinebat, radicitus effodit. Quae, levi impulsu ventorum procidens, pullos aquilae, adhuc implumes et involucres,

in humum deiecit, qui, a feris depasti, magnum doloris solatium cuniculo praebuerunt.

Haec indicat fabula neminem potentia sua fretum imbecilliores debere despicere, cum aliquando infirmiores potentiorum iniurias ulciscantur.

178. Cuniculus et Venator

Cuniculus, thymoque serpylloque pastus et satur, leve corpusculum variis motibus saliendo et cursitando agitabat cum, concitati sonipedis rapido impetu et equitis saevientis crebro verbere perterritus, antrum celeri fuga repetiit et in ultimam latebram se condidit trepidus. Postmodum, ubi pavor falsus tandem evanuit, ad pascua redit. Videns venatorem sensim accedere timido et suspenso pede, “Ab hoc homine,” inquit, “nil periculi mihi obiicitur; etenim placidus est et ipse videtur hunc meum occursum pertimescere, tamen non sum ulli valde formidabilis.” Dum misellus sic garrit et se decipit, homo ille placidus missili plumbo hunc necat.

Saepius homines timent ubi omnia tuta sunt et, ubi timenda sunt omnia, se tutos putant.

179. Herinaceus et Vulpes, Iter Facientes

Cum una forte iter facerent vulpes et herinaceus, gloriabatur illa et ostentabat ingenii sui calliditatem et se plurimarum artium notitia instructam esse superbe praedicabat et rogabat quid herinaceus sciret. “Nihil enim,” inquit herinaceus, “nisi me in globulum convolvere.” Hoc enimvero irridebat illa et contemnendum ducebat. Paulo post, incidunt in canes, qui cum omnibus artibus vulpem capiunt et discerpunt; spinis autem suis tectus et defensus, herinaceus omne periculum evasit.

180. Herinaceus, Vulpes, et Muscae

Vulpes, cum flumen traiiceret, in voraginem decidit. Ex qua cum minime posset exire, diu male affecta fuit ipsique multae caninae muscae adhaeserunt. At herinaceus,

qui per inde forte vagabatur, ut eam vidit, misericordia captus, interrogavit num ab ipsa caninas muscas abigeret. At illa omnino vetavit. Cuius rei causam cum ille quaereret, ei vulpes respondit, “Quoniam istae quidem plenae mei iam sunt, et parum sanguinis sugunt; si vero has abegeris, aliae venientes famelicae exhaurient mihi reliquum sanguinis.”

181. Herinaceus et Lupus, Ovem Furantes

Lupus et herinaceus, confederati, ad villam venerunt et furati sunt ovem. Lupus, ferens ovem, fugam arripuit, et post se socium reliquit. Sed herinaceus lupo vocavit, “Saltem ultimum mihi osculum dare poteris.” Lupus accessit et osculatus est eum. At ille, labia dentibus suis arripiens, ei adhaesit. Instant canes, et lupus adhaerentem sibi deportat, licet invitus. Dixit, “Dimitte me adhuc, quoniam ambo capiemur.” Respondit herinaceus, “Socii tam fideliter coniuncti, aut simul evadant, aut simul capiantur.” Ventum est ad silvam et videns herinaceus quia posset evadere, laxavit dentes. “Iace,” inquit lupus, “misera bestiola! Ego vero fugiam in latebras silvarum ut salvus evadam.” Respondit herinaceus, “Foedus turpiter disrumpis, cum tu, reversus ad ovem, me post tergum relinquis.”

Sic contigit deceptori quod seipsum decipit.

182. Herinaceus et Lupus Captus

Lupus et herinaceus socio iungebantur foedere. Contigit interim lupum, minus caute ambulantem, in cippum intrare, et captus est pede. Rogavit ergo socium suum herinaceum ut ei fideliter assisteret et, in tanta necessitate, ut bonus socius sibi subveniret. Cui respondit herinaceus, “Subvenire vobis minime possum, antequam sancti, a quibus ligatus estis, vos absolvant. Multa enim, reor, pro satisfactione excessuum, sanctis vovistis, quae ut mihi videtur non bene persolvistis, carnium videlicet abstinentiam vel aliqua huiusmodi, et inde vobis offensi permiserunt vos in laqueum venire. Agendum ergo vobis

est pro gratia eorum. Quam si obtinueritis, poterit vobis prodesse mea societas; aliter non, quia divinae voluntati obviare nullatenus audeo.”

183. Herinacei et Viperae

Herinacei, hiemem adventare praesentientes, blande viperas rogaverunt ut in propria illarum caverna adversus vim frigoris locum sibi concederent. Quod cum illae fecissent, herinacei, huc atque illuc se provolventes, spinarum acumine viperas pungebant et vehementi dolore torquebant. Illae, male secum actum videntes, blandis verbis orabant herinaceos ut exirent, quandoquidem tam multis locus esset angustus nimis. Cui herinacei “Exeant,” inquiunt, “qui hic manere non possunt.” Quare viperae, sentientes ibi locum non esse, cesserunt hospitio.

> *Fabula innuit eos in consortia non admittendos quos non eiicere possumus.*

184. Herinaceus et Colubra

Herinaceus colubrae cutem teneram spiculis suis pupugerat et sauciaverat. Illa continuo hanc offensiunculam vindicare parat, furore magno ardens. Animo tumente saevit, in hostem ruit, et totum circumvolvit. At ipsa undique telis obstantibus circum sese induit.

> *Frustra ergo sic tentat damnum leve ulcisci, simulque in malum magnum incurrit.*

185. Herinaceus et Cervus

Certamen erat inter herinaceum et cervum; qui citius poterit percurrere prata, victor erit. “Heu,” infit herinaceus, “hoc est impossible ut mihi victoria perveniat.” Hoc modo queritans et flens, domum perrexit. Quem ut sua mulier dolentem conspexit, quaesivit quid hoc sit. Herinaceus rem sermone retexit. Tunc uxor ait, “Notum tibi satis est, quod nos ambo ita conformes et similes simus, ut nulla mens discernat inter nos. Igitur

consilium sanum tibi dabo: et tu et cervus simul stabitis, sed ego contra stabo. Cum cervus ad me cucurrerit, tunc ego clamabo, ‘Perveni citius, ergo tibi prata negabo.’ Sic cervus recedat lassus et illusus!” Sic fecerunt herinacei, et hoc artis ingenio cervus, contra spem victus, e prato discedit.

186. Talpa et Olitor

Olitor, talpam capiens, eam interimere volebat. Cui illa “Ne occidas,” inquit, “mi here, me famulam tuam, tam pulchra pelle contectam et hortulos tuos gratis fodientem.” “Non me,” respondit olitor, “his blandulis delinies verbis, cum, me invito, hortulos meos, ut dicis, fodiens, herbas omnes, ut te ipsam pascas, radicitus eruas, et me ad inopiam redigas.”

187. Talpa et Tumulus

Talpa larem tenebricosum, sub humo intubis et rapulis consita, fodiebat, et “Olitor,” inquit, “Argo oculatior fuerit, si me deprehenderit tam bene latentem.” Sed, dum glaebulas trudit et sursum aggerit, tumulus fit qui latentis operam indicat, et olitor advertit. Insidias in ipsis latebrae faucibus collocat et incautam capit.

Aliqua via, malefici semper se produnt.

188. Talpa, Asinus, et Simia

Asinus et simia, simul aliquando confabulantes, coeperunt de Natura, omnium parente, conqueri: ille quod erga se, illiberalis, cornua non dedisset, suae defensioni necessaria; haec vicissim quod caudam non esset largita, nudis natibus operiendis oportunam. Audiebat talpa colloquentes, ad quos “Tacete,” inquit, “ambo, et cessate murmurare, cum me oculis captam patienter sustinere videtis.”

189. Talpa et Lynx

Lynx oculata talpae caeco ait, “Cur vitam amare potes, miser, cum scias lucem tibi inutilem esse? Illane vita vocanda est quae munere tanto caret? Ideoque vivus in tumulo lates, degens sub humo. At mihi non lates, quae oculo acuto in abditos sinus terrae penetrare novi.” Talpa contra sic refert, “Quod superum voluntas tibi tam acutum cernere dederit, ultro gratulor; neque ista caecitas me obruit, nam aurium facultas singularis mihi data fuit. Et nunc, certe, nunc aliquem sonum audio, forsan aliquid triste tibi minitantem.” Arcus sonus erat, quem venator abditus tetenderat, vulnus altum adigere destinans. Sagitta volat; lyncis pectus transverberat, et oculos, qui noctem densissimam superare poterant, nox aeterna iam occupat.

Natura cuique dotem suam largita est.

190. Talpa et Mus

Mus inconsultus, dum huc illuc cursitat, talpam pascentem in ipso cavi aditu videt. Illa sic murem admonere coepit, “Heu! Cur, miser, cursus iterare amas, tam sollicitos et tam tibi parum utiles? Quid tantum iuvat ferri, referri, et inquietum pertrahi, utcumque prava curiositas iubet? Quietus et beatus in latibulo tuo vivere potes; an vero nescis, simul foras erumpis, te periculis obiici et multis et gravibus? Nihil umquam audisti de felium gente perniciosa, quam sit agilis, astuta, et rapax? At, at, aliquis sonus mihi aures perculit. Latibulum subeo; tu vale, et fuge, si sapis.” “Nihil est,” mus inquit; “inanis metus te ciet; manendum.” Simulque feles (nam ipsa furtim repserat, praedam secuta) prosilit, et murem capit.

Vivit beatus, qui sibi vivit latens.

191. Castor et Venator

Castor est animal in paludibus sese nutriens, cuius testiculi variis medelis utiles esse dicuntur. Itaque cum quispiam eum sequitur, venationis causam non ignorans,

fugit ad speluncam ubi, ab hominum conspectu canumque odoratu securus, testes dentibus exscindit et venatoribus appropinquantibus relinquit, et hoc pacto se securum praestat.

Sapiens, ut a periculis se eripiat,
nihil intentatum relinquit.

192. Taxus et Porcelli

Abundantia erat glandis maxima, et dimissi sunt porci cum pastoribus ad nemora. Taxus ergo, nemoris alumnus et incola qui glandibus vivere solebat, videns eas vastari, porcis se sociavit et de genere ipsorum esse dixit, unde et merito ipsis communicare deberet in pascuis. Cum autem postea vidit incrassatos porcos securibus subduci et interfici, idem de se metuens, carnificibus ait, “In me saevire non debetis, quia canis sum natura et genere, nec humanis esibus aptus.” Et ostendit eis ungulas suas in argumentum, et more canis terram scalpere coepit ungulis suis caninis.

Sic multi cupidi et astuti duas vias ingrediuntur, sed, cognita eorum versutia, etsi quandoque benefecerint vel vera locuti fuerint, nullius tamen sunt momenti quae dicunt vel faciunt.

193. Mustela et Homo

Mustela, dum apprehenderet mures, ab homine capitur. Illa vero cum fugere vellet, “Rogo,” inquit, “O homo, ut parcas mihi, quia ex molestis sueta sum domum tuam expurgare.” At ille “Non causa,” inquit, “mea haec facis; nam gratam te haberem, si pro me fecisses, veniamque promeruisses; sed ideo mures necas ut comedas reliquias nostras quas illi fuerant rosuri, et tu totum devores omniaque tecum deportes. Nolo mihi deputes beneficium.” Dixit, sicque morti tradidit.

Qui simulatorie famulatur, male remuneratur.

194. Mustela et Lima

Mustela, in officinam aerariam ingressa, limam ibi iacentem circumlambebat. Contigit autem ut, dilacerante se lingua, multus sanguis efflueret. Illa tamen oblectabatur, aliquid ex ferro se avellere putans, donec tandem omnino linguam amisit.

Haec fabula de iis narratur qui, contentionum cupidi, sibimetipsis nocent.

195. Mustela et Mus Grandaevus

Mustela, inveterata nec iam amplius mures venari praevalens, arte iuvari voluit ut vitam habere posset. Igitur in farina se coniecit et abscondit, ubi murium frequentiam esse scivit. Ibi ergo in insidiis latitans, mures sine labore capiendos exspectavit. Cepit itaque tres iuvenes et minus cautos mures. Tandem venit grandaevus mus et circumspectus, qui de laqueis et muscipulis non semel evaserat, vidensque illam insidias habentem, cognita fraude eius, sic eam allocuta est, “Minus cautos mures decipere quidem potesti; sed me minime capietis. Ego enim vos intus in cute novi.”

196. Mures Duo

Mus rusticus, videns urbanum murem rus deambulantem, invitat ad cenam depromitque omne penum ut tanti hospitis expleat lautitiam. Urbanus ruris damnat inopiam urbisque copiam laudat, secumque in urbem ducit rusticum. Qui, inter epulandum attonitus insolitis clamoribus, cum intellexerat periculum quotidianum esse, dixit urbano muri, “Tuae dapes plus fellis quam mellis habent. Malo securus esse cum mea inopia quam dives esse cum tua anxietate.”

197. Mus in Muscipulo Captus

Lardum e muscipulo pendulum edacitatem muris famelici inflammaverat; at vix attigit, captus gemit. Miser ergo, dum suam sortem lamentatur, quippe iam videns spem salutis nullam sibi superesse, mus severus et retorridus huc forte venit et, “Merito certe tuo,” inquit, “accidit malum quod nunc deploras. Ego iam quidem centies videram dapes eiusmodi fraudulentas mihi obiici, at semper animus abhorruit, quantamlibet illae appetentiam sui excitarent. Etenim profecto in hoc capite nostro aliqua scintilla sensus et prudentiae viget; rationis autem quam sis indigus iam saepe comprobatum feceras futilibus et indoctis moribus.” “Meme enecas,” inquit alter; “quod arguis, ferrem libenter, si simul dares medelam malis meis. Sed cum tu, dure, nihil prodesse queas, cur tuis conviciis meam hanc calamitatem exasperas?”

198. Mus et Rana, Decertantes

Post longe exercita odia, mus et rana in bellum ruebant. Causa certaminis erat de paludis imperio. Anceps pugna fuit. Mus insidias sub herbis struebat et, improviso Marte, ranam adoritur. Rana, viribus melior et pectore insultuque valens, hostem aggreditur. Hasta utrique erat iuncea et paribus formosa nodis. Sed, certamine procul viso, milvus adproperat, dumque prae pugnae studio neuter sibi cavebat, bellatores ambos egregie pugnantes milvus secum attollit laniatque.

199. Mus et Bos

Opimum bovem resupinatum in stramento arrodere mus coepit et dentibus multa carne densum femur lacerare. At bos primum caput quassabat, et movebat cornua, mox etiam exsiliebat, et circumspicebat, ac vestigabat hostem. Cui mus, de cavernula sua caput exerens, “Quantilla,” inquit, “ego bestiola quantum animal excitare potui.”

200. Mus in Cista Natus

Mus, in cista natus, omnem fere ibi duxerat aetatem, nucibus pastus quae in ea servari solebant. Dum autem circa oras cistae ludens decidisset quaereretque ascensum, reperit epulas lautissime paratas, quas cum gustare coepisset, “Quam stultus,” inquit, “hactenus fui, qui toto in terrarum orbe nihil melius cistula mea esse credebam. Ecce quam suavioribus hic vescor cibis.”

201. Mus in Olla

In ollam iusculi plenam quae carebat operculo, mus cecidit et, suffocatus adipe, iamque expirans animam, “Edi,” inquit, “bibique, et cunctis implevi me cibis. Mihi tempus est mori.”

> *Helluo, fies mus inter homines, si quae nocent dulcia non respues!*

202. Mus in Cervisia

Mus semel cecidit in spumam vini vel cervisiae quando bullivit. Catus, transiens, audivit murem pipantem eo quod exire non potuit. Et ait catus, “Quare clamas?” Respondit, “Quia exire non valeo.” Ait catus, “Quid dabis mihi, si te extraxero?” Ait mus, “Quicquid postulaveris?” Et ait catus, “Si te hac vice liberavero, venies ad me cum te vocavero?” Et ait mus, “Firmiter hoc promitto.” Ait catus, “Iura mihi.” Et mus iuravit. Catus murem extraxit et ire permisit. Semel catus esurivit et venit ad foramen muris, et dixit ei quod ad ipsum exiret. Dixit mus, “Non faciam.” Ait catus, “Nonne iurasti mihi?” Dixit, “Frater, ebria fui, quando iuravi.”

203. Mures et Catus Mortem Simulans

Catus, cum pistoris domum ingressus est, quam plurimos invenit mures et, nunc unum nunc alterum devorando, tam caute patrifamilias providebat ut paucos relinqueret. Mures interim, cum ante oculos habuissent diuturnam illorum caedem, consilium ceperunt quo pacto catum

vorabundum evitarent. Post varias disceptationes, concludebant tandem ut in locis occultis altissimisque remanerent, ne descendendo in praedam cato venirent. Catus, hoc consilio intellecto, se mortuum fingebat, cum unus ex murium senioribus ab alto exclamavit, “Euge, amice! Non cato credendum est, ne mortuo quidem.”

204. Mures Felem Contemplantes

Mures complures, in cavo parietis commorantes, contemplabantur felem, quae in tabulato, capite demisso et tristi vultu, recumbebat. Tunc unus ex eis “Hoc animal,” inquit, “benignum admodum et mite videtur. Vultu enim ipso sanctimoniam quandam praefert; volo ipsum alloqui et cum eo indissolubilem nectere amicitiam.” Quae cum dixisset et propius accessisset, a fele captus et dilaceratus est. Tunc ceteri, haec videntes, secum dicebant, “Non est profecto, non est vultui temere credendum.”

205. Mus, Catus, et Gallus

Mus instruxit filiam suam ne exiret cavernam. Quae tamen exiit et vidit gallum paleas cum pedibus removentem et clamantem plurimum. Timuit. Vidit etiam catum iuxta caminum, ei lento gradu suaviter appropinquantem et, non exspectans, intravit cavernam, tremens. Quoniam trementem mater invenit et filia narravit quod viderat gallum quasi diabolum, et catum quasi heremitam. Quae ait, “Ne timeas illum qui videtur ita malus, sed cave ab illo qui videtur sanctus.”

206. Mures, Feles, et Tintinnabulum

Mures aliquando consultabant quomodo se a fele tueri possent. Multa proponebantur a singulis muribus, sed nihil placebat. Postremo unus dixit, “Tintinnabulum feli annectendum est; tum statim audiemus cum veniet, facileque effugiemus.” Omnes mures laeti praedicant prudentem consilii auctorem. “Iam tu,” inquiunt,

“annecte tintinnabulum.” “Ego vero,” respondet ille, “consilium dedi; alius operam sumat.” Irritum consilium fuit, quoniam qui feli annecteret tintinnabulum non reperiebatur.

Dictum citius quam factum.

207. Mures et Feles, Proeliantes

Feles quondam et mures commiserant proelium. Mures vero, maxima clade profligati, cum animi et virium defectu se victos esse intellexissent, satrapas et antesignanos elegerunt sibi. Qui, ut inter reliquos insignibus et fortitudine eminerent, capitibus suis addiderant cornua. Iterum deinde feles adortae mures universos in fugam avertunt. Ac reliqui quidem mures, fuga servati, tuto latibula sua intrant. Praetores autem et ipsi fuga ad latebras pervenerant suas sed, cum intrare vellent, sunt impediti cornibus. Quos comprehensos feles dederunt neci.

Qui nimis freti sunt armis suis, per ipsa arma intereunt.

208. Mus et Leo

Circum leonem dormientem lascive discurrebant musculi, quorum unus in dorsum eius insiluit. Captus autem a leone experrecto excusavit imprudentiam gratiasque se ei habiturum esse pollicitus est, si vitae parceret. Leo, etsi erat ira commotus, ignovit tamen musculo precanti, et tam contemptam bestiolam dimisit incolumem. Paulo post, incautius praedam vestigans leo in laqueos incidit, quibus adstrictus rugitum maximum edidit. Accurrit musculus, cernensque vinculis detentum qui sibi dudum vitam petenti concesserat, arrepsit ad laqueos eosque corrosit. Hoc modo cum leonem periculo liberasset, “Tibi,” inquit, “ludibrio eram, quasi nullum vicissim beneficium praestare possem; nunc scias etiam murem gratias referre posse.”

209. Mus et Leonis Gratia

Leo, laqueo captus, cum ita se irretitum videret ut nullis viribus sese explicare posset, murem rogavit ut, abroso laqueo, eum liberaret, promittens tanti beneficii se non futurum immemorem. Quod cum mus prompte fecisset, leonem rogavit ut filiam eius sibi traderet in uxorem. Nec abnuit leo ut benefactori suo rem gratam faceret. Nova autem nupta, ad virum veniens, cum eum non videret, casu illum pede pressit et contrivit.

> *Moderanda sunt vota, nam qui plura quam decet quaerit, interdum etiam et mortem festinat suam.*

210. Mus, Mustela, Vulpes, et Lupus

Mus furtim nucem rapuerat et, cum ad cavum rediret, ea dape belle refectus, mustela hunc adspicit, persequitur, capit, comestque. Sed mox irruens vulpes ipsam necat et pariter mandit. Lupus famelicus hanc denique apprehendit et simul vorat vulpemque mustelamque muremque et nucem.

> *Fabella indicat latrones potentiores saepe scelere latrunculorum frui.*

211. Mus et Rusticus

Mus, a rustico deprehensus, acri morsu eius digitos vulneravit. Rusticus murem dimisit, dicens, “Nihil, mehercule, tam pusillum est, ut de salute desperare debeat.”

212. Mus Uxorem Quaerens

Mus, cum vellet nubere, filiam Solis sibi sponsam expetiit, utpote qui de alto genere suum instituere intendebat coniugium. Cui ait Sol, “Ostendam tibi potentiorem me, Nubem scilicet, qui radios meos saepissime abscondit.” Venit igitur ad Nubem. Cui Nubes respondit, “Ostendam tibi potentiorem me, Ventum scilicet, qui me dissipat

et dividit in diversas caeli plagas." Venit ergo ad Ventum, qui respondit, "Murus me valide resistit et impetus meos sustinet." Venit ergo ad Murum et dicit, "Da mihi filiam tuam." Cui respondit Murus, "Ostendam tibi cui ego resistere non valeo: Mus, qui me perfodit. Aptiorem tibi nuptam quam filiam Muris numquam invenies."

Sic fit de illis qui parem sibi nullum existimant; dum naturam suam fallere cupiunt, nolentes in eandem recidunt.

213. Mus et Elephantus

Mus, corporis exigui praeter solitum, elephantum praestantem, mole insolita, cernebat. Ridebat, quod belua altae cervicis passibus tardis iret, sarcina gravi onusta. Sublimi dorso eius sultana augusta sedebat, et simia, feles, anus, psittacus atque canis, et comites mulier quotcumque secum trahebat; quippe sultana peregre ibat vota Deo solvere. Mus, attonita quod turba frequens colossum tarda mole vastum aspiciat, "Ego miror," ait, "minor est an maior virtus et gloria nobis, ut quisque nostrum plusve minusve loci implet? Haec fera, O mortales, quid habet mirabile? An corpus magnum, unde pavor pueris nascitur? Elephantus haud nobis, licet exiguis, praeponderat vel uno momento!" Plura dicere parat. Ecce feles, sua cavea erumpens, hunc subito dedocet mures elephantis pares esse.

214. Mus et Montes

Rumor erat parturire montes. Homines undique accurrunt et circumstant, monstri quidpiam non sine pavore exspectantes. Montes tandem parturiunt; exit ridiculus mus. Tum omnes risu emoriebantur.

Reprehendit haec fabula iactantiam illorum qui cum magna profitentur, vix parva faciunt. Vetat etiam inanes timores; plerumque etenim periculi metus est ipso periculo gravior et ridiculum est quod tantum formidamus.

215. Sorex et Mus

Sorex, acutos sonos ore stridulo ciere solitus, cum crederet sese belle cantitare, gestiebat et sibi plaudebat; iocans, muris taciturnitatem etiam carpebat. At ille "Si saperes," ait, "pariter taceres." Quo dicto, mus cavum subiit. Mox autem feles supervenit, soricis inepti stridore crebrescente admonita, et tacito gressu accedens incautum occupat. Atque ita sorex suo indicio proditus perit.

216. Sorices, Mures, et Catus

Catus sedit super fornacem, infulatus et baculo suo innixus, muresque convocans et sorices, episcopum se esse dixit et ad benedictionem suam eos inclinari praecepit et sibi fieri obedientes. Cui antiquus sorex sic respondit, "Carius est mihi ut moriar paganus quam quod sub vestra manu fiam christianus." Tunc ergo mures et sorices, a benedictione ipsius fugientes, in suis se latebris occultarunt, et catus, mitram exuens, episcopatum deposuit.

217. Asinus et Lyra

Asinus lyram vidit in prato iacentem; accessit et chordas temptavit ungula. Tactae, sonuere. "Bella res, mehercules, male cessit," inquit, "quia artis sum nescius. Si hanc reperisset aliquis prudentior, divinis cantibus aures oblectasset."

218. Asellus et Liber

Asellus quidam librum elegantem reperit; simul improbavit atque iocans discerpsit.

Stupiditas criticum audaciorem facit.

219. Asini Spongiis et Sale Onusti

Asini duo forte una iter faciebant, onustus alter spongiis, alter sale. Cumque hic sub sarcina praegravante lapsus

esset in transitu profluentis vadoso, sale aqua contacto et in tabem liquidam soluto, undis evasit ab omni onere liber, gestiens. Spongias alter ferens, hoc viso, ut ipse sarcina sua sese levaret, vado alto sponte procubuit; sed, spongiis aquam usque combibentibus depressus, imo flumine mersus haesit.

Non una agendi ratio cunctis congruit.

220. Asellus et Rivus

Asellus ad rivum venerat; carduos egregios videt in margine ulteriore satos. Fames sollicita, illecebris dulcibus agens, ieiunum huc porro impellit suadetque rivum statim traiicere, quod et aquae breves sinunt. At pecus inepta timet, scilicet ne rigescant pedes si lympha eos delicatos tingat. “Exspectemus,” ait, “dum aqua omnis defluat.” Exspectat ergo at tamdiu, dum vigor paene consumptus languidos artus deficiat. Tandem vadum tentat, si traiicere queat, sed frustra; limus tenax et lubricus impedit inertem ne ad dulces cibos perveniat.

Merito caret bonis quibus maxime eget
quisquis rem bene gerendi horam prorogat.

221. Asinus et Canis

Asino, esculenta messoribus in agro portanti, occurrit herilis canis. Cui dixit, “Tu panibus cibisque onustus es quorum mox ego particeps ero; interim dum per viam incedis, tu ipse rubos comedis.” Huic asinus respondebat, “Frustula fortassis et ossa ad te pertinebunt; verum rubi quos ego comedo sunt gratiores mihi et magis meum palatum sapiunt quam omnes in macello carnes aut bellaria in pistorum officinis.”

222. Asini Duo et Vulpes

Dum inter se colluderent asini duo, par inficetum et illaudatum, opipare pransi et dulcibus carduis recreati, “Heus,” inquit unus, “frater, ut tibi placet conditio nostra? Decor corporis nostri qualis videtur? Et ista oris dignitas,

isti vocis soni, modo acuti, modo graves? Iste aurium apex, subtilis et nitidus? Quantum haec cuncta laudis et gloriae habent?” Alter respondet, “Cur pudor nos tacere cogat, quod ipsa veritas loqui iubet? Nos ambo nempe belluli toti sumus! Res patet, vacua ab omni controversia. Si quid forsan invidia obtrectaverit, quid tum? More suo fecerit; in optima quaeque invehi solet. Obtrectet igitur et gemat.” Vulpes, ut omnia audierat, “O vos bestiae nimis felices,” inquit, “quibus ab omnibus negata laudum munera, a vobis ipsis invicem accipere fruique licet!”

223. Asina et Bos, Iuncti

Pauper quidam agricola, cum asinam quam habebat bovi iunxisset, necessitate coactus, his terram arabat. Opere autem expleto, cum eos iugo esset soluturus, asina bovem interrogavit quis eorum agricolae instrumenta domum referre deberet. Cui ille respondit, “Qui antea solitus, omnino nunc etiam referet.”

224. Asinus et Bos, Pascentes

Bos et asinus in prato eodem gramina tondebant. Ille seligebat quae magis sibi placitura et profutura crederet. Hic quaelibet carpebat et omnia vorabat promiscue. Quod videns, bos admonet non omnia praedita bono sapore esse; exploret ergo et ex gustatu iudicet, quorum saliva potior sit. Asinus refert, “Omnium saliva mihi par et una est.”

225. Asinus et Vitulus

Asinus et vitulus, in eodem pascentes prato, sonitu campanae hostilem exercitum adventare praesenserant. Tum vitulus “Fugiamus hinc, O sodalis,” inquit, “ne hostes nos captivos abducant.” Cui asinus “Fuge tu,” inquit, “quem hostes occidere et esse consueverunt. Asini nihil interest, cui ubique eadem ferendi oneris est proposita conditio.”

226. Asinus Porco Invidens

Asinus porco, qui sub eodem erat domino, plurimum invidebat quod omnis laboris expers, variis nutriretur cibis indiesque pinguior fieret; ipse autem, plurimum laboris sustinens, duris paleis aleretur. Unde macilentus effectus, vix ingredi posset. Sed ubi vidit contubernalem suum ad lanienam trahi ut, occisus, hominum esset cibus, aliquantulum recreatus, "At at," inquit, "hinc illa in nutriendo porco hominum diligentia? O quam melius est asinum esse quam porcum!"

227. Asinus et Porcelli Hordeum

Cum quidam verrem immolasset sancto Herculi, cui pro salute sua votum debebat, hordei reliquias poni iussit asello. Quas ille aspernatus, sic locutus est, "Libenter cibum istum prorsus adpeterem, nisi qui illo nutritus est iugulatus foret."

228. Asinus et Vulpes, Peccata Confitentes

Semel lupus audivit animalium confessionem et, cum multa ex eis fuissent sibi magna peccata confessa, tandem vulpes dixit quod multas gallinas rapuit et comedit non benedicendo, et sic de aliis. Postremo venit asinus, qui confessus est et dixit, "Ego subtraxi unam parvam garbam faeni quod ceciderat cuidam de curru, et hoc feci propter famem quam patiebar." Dixit lupus ad vulpem, "Tu non peccasti, quia est tibi innatum et naturale ut rapias gallinas. Sed maledictus sit asinus, qui alienum subtraxit!" Et sic mandavit asinum percutere et sententiavit eum fore suspendio dignum, sed vulpem dimisit illaesam.

229. Asinus, Lupi, et Canes

Asinus aegrotabat; famaque exierat eum cito moriturum. Ad eum igitur visendum cum lupi canesque venissent peterentque a filio quomodo pater eius se haberet, ille per ostii rimulam respondit, "Melius quam velletis."

230. Asina Aegrota et Lupus

Febri correptam et graviter laborantem asinam, cum morbus saevus esset, invisit lupus et, tangens aestuans corpus illius, ubi doleret potissimum interrogat. “Ibi,” inquit asina, “vel tantum vel maxime dolet, ubi tu me contingis.”

231. Asinus et Lupus, Ligati

Lupus asino obviavit, cui ait, “O frater asine, comedam te.” Cui asinus, “Ut placuerit, ita facies. Sed nolo ut in via comedas me. Si enim hic me comederis, vicini videntes dicent, ‘Quomodo asellus noster permisit se devorari a lupo?’ Eamus in silvam, et liga me per pectus quasi servum, et ego te ligabo per collum quasi dominum, et ita perduc me ad silvae inferiora, et ibi me comede pacifice.” Lupus ait, “Ita faciamus.” Abierunt, et lupus ligavit asinum per pectus, et asinus lupum per collum. Tunc coepit ire asinus ad domum domini sui. Lupus, ut agnovit fraudem, coepit retrogradare, sed asinus violenter eum trahebat usque ad fores domini sui. Exiens autem dominus ac cuncta familia percusserunt lupum usque ad mortem.

232. Asinus Leoni Cantans et Lallans

Leo, rex animalium, semel quaesivit sibi ministros ut servirent ei in diversis officiis. Ingessit se asinus, dicens quod optime sciret cantare et lallare. Dixit leo, “Audiamus,” et asinus aperuit os suum et horribiliter recanavit. Et ait leo, “Miser, quare mentitus es, cum sonus tuus horribilis sit? Potius me a somno excitaret quam dormire faceret. Exeas cito de curia mea!”

233. Asinus Animalia Fugans et Leo

Asinus ediverso occurrit leoni, cui sic dicere coepit, “Ascendamus in cacumen montis et ostendam tibi quia et multa animalia me timent.” Leo, ridens aselli verba, “Eamus,” inquit. Cumque venissent ad locum,

stans cum fera asellus in edito loco voce summissa clamare coepit. Quem audientes, vulpes et lepores fugere coeperunt. At asellus, “Vide quem timeant.” Cui leo contra sic dixisse fertur, “Poterat et me terrere vox tua, si non scirem asinum te esse.”

234. Asinus Leonis Pelle Indutus

Asinus, in silvam veniens, exuvias leonis offendit. Quibus indutus, in pascua redit, greges et armenta territans fugansque. Herus autem, qui vagum fallacemque asinum perdiderat, occurrit. Asinus, viso hero, cum rugitu obviam fecit. At herus, prehensis quae extabant auriculis, “Alios licet,” inquit, “fallas; ego te probe novi.”

Quod non es, nec te esse simules.

235. Asinus, Gallus, et Leo

Gallus aliquando cum asino pascebatur. Leone autem aggresso asinum, gallus exclamavit, et leo (qui galli vocem timet) fugere incipit. Asinus, ratus propter se fugere, aggressus est leonem; ut vero procul a gallicinio persecutus est, conversus leo asinum devoravit, qui moriens clamabat, “Iusta passus sum; ex pugnacibus enim non natus parentibus, quamobrem in aciem irrui?”

236. Asinus Excors, Vulpes, et Leo

Leo, aegrotans, vulpeculam orat sibi cibum ut inveniat. Illa abiit et ad asinum solum in prato oberrantem devenit ac inquit, “Quin mecum te confers ad tui generis animalia, quae plurima intra nemus convenere?” Asinus illam sequitur, sed leo ita fuerat morbo debilitatus ut asinum retinere non posset. Asinus elapsus in suum pratum revertitur. Redit ad eum vulpecula et vere asinum esse ait, qui leonis amatoris complexus fugerit. Asinus vulpi credit et iterum ad leonem accedit, qui eum iugulat; tum iubet vulpem carnes apparare. Vulpecula ut iussa fuerat facit, sed exemptum cor ipsa devorat. Requirenti autem leoni dicit asinum cor non habuisse. Hoc leo incredibile esse

dicit. Tum vulpes “An putas,” inquit, “iterum ad te adduci hunc potuisse, si cor haberet?”

237. Asini et Agricola Senex

Agricola quidam in agro consenuit et, cum numquam ingressus esset in urbem, precabatur domesticos ut eam videret. At illi, iunctis asellis atque in curru eo imposito, solum iusserunt agere. Eunti tamen procella et turbine aerem occupantibus et tenebris factis, aselli a via aberrantes in quoddam praecipitium deduxerunt senem. At ille, iam praecipitandus, “O Iuppiter,” ait, “in qua re te iniuria affeci quod sic inique occidor, praesertimque neque ab equis generosis, neque a mulis bonis, sed ab asellis vilissimis?

238. Asinus et Agaso

Asinus dum ab agasone ageretur, a via paulum digressus, relicta planitie, praerupta in loca ferebatur. At cum denique in praeceps rueret, agaso cauda arreptum conabatur in viam reducere. Sed cum asinum a lapsu retinere non posset, eum omnino dimisit et “Vince utique,” ait, “infaustam enim victoriam reportas.”

239. Asinus et Grammaticus

Grammaticus quidam gloriabatur adeo in arte sua se excellentem esse ut, si digna daretur merces, non modo pueros, verum etiam asinum docere profiteretur. Princeps, audiens hominis temeritatem, interrogabat eum an si quinquaginta ei daret aureos, intra decennium docere asinum confideret. Respondit vir impudens non recusare se ab eo interimi si hoc spatio temporis asinus ille legere et scribere nesciret. Amici, hoc audientes, admirabantur increpabantque hominem, qui non modo rem arduam atque difficilem, verum etiam impossibilem facere promisisset, timebantque ne exacto hoc tempore a principe occideretur. Quibus ille respondebat,

"Antequam hoc tempus elabatur aut asinus morietur, aut princeps, aut ego."

> *Fabula indicat in periculo constitutis moram saepe auxilio esse solere.*

240. Asinus et Umbra Eius

Demosthenes, causam orans, cum iudices parum attentos videret, "Paulisper," inquit, "aures mihi praebete; rem vobis novam et iucundam narrabo." Cum aures arrexissent, "Iuvenis," inquit, "quispiam asinum conduxerat, quo Athenis Megaram profecturus uteretur. In itinere cum sol ureret neque esset umbraculum, deposuit clitellas et sub asino consedit, cuius umbra tegeretur. Id vero agaso vetabat, clamans asinum locatum esse, non umbram asini. Alter cum contra contenderet, tandem in ius ambulant." Haec locutus, Demosthenes, ubi homines arrectis auribus auscultantes vidit, abiit. Tum revocatus a iudicibus rogatusque ut reliquam fabulam enarraret, "Quid," inquit, "de asini umbra libet audire? Causam hominis de vita periclitantis non audietis?"

241. Asinus et Viatores Duo

Duo viatores asinum in solitudine errantem conspicati sunt. Accurrunt, laeti, et capiunt. Mox autem oritur contentio uter eum domum abduceret. Uterque asinum sibi vindicavit quia eum prior conspexisset. Dum illi de ea re acriter rixantur, asinus aufugit ac neuter lucrum fecit.

> *Duobus litigantibus, tertius gaudet.*

242. Asinus Ludens

Asinus quidam, domum ingressus, cum in ea ludere ac saltare coepisset, vas fictile rupit. Hoc videns, quidam accurrit eumque fustibus inde abegit. Sed asinus ad eum, qui suos humeros fuste caedebat, conversus, "Atqui," inquit, "heri, et prius etiam, hoc idem faciens simius, magnam vobis attulit voluptatem."

243. Asinus et Domini Canis

Dominus asini habebat etiam catulum. Is a domino saepe laudabatur et permulcebatur, frustaque semper egregia ei dabantur. Hoc cum invidia videbat asinus. Cogitabat secum, “Cur canis ita amatur a domino? Cur ego male tractor? Ille inutilis est; ego maxima semper commoda domino comparavi. At canis callidus est adulator; a me dominus numquam blanditias accepit. Etiam ego amabor, si idem faciam quod ille facere solet.” Forte, hoc tempore dominus intrat in stabulum. Statim asinus accurrit rudens, pedes ponit in domini humeris, et faciem lata sua lingua lambere incipit. Exterritus dominus et iratus, vocat famulos qui fustibus asinum stultum misere mulcant; mulcatus, stultitiam suam deploravit.

Quod catulum, non decet asinum.

244. Asinus et Dominus Ingratus

Asinus, qui viro cuidam ingrato multos annos inoffenso pede servierat, semel ut fit dum sarcina pressus gravi salebrosa incedit via, sub onere ceciderat. Tum dominus implacabilis multis verberibus surgere compellebat, pigrum animal et ignavum nuncupans. At ille miser inter verbera haec secum dicebat, “Infelix ego quam ingratum sortitus sum herum. Num, quamvis ei multo tempore sine offensa servierim, tamen non hoc unum delictum tot meis pristinis beneficiis compensat.”

245. Asinus et Tympana

Negotiator in via cum asello festinabat nundinas. Onusto asino male flagello et fuste caedebat ut citius posset venire lucri causa. Asellus sperabat ut post mortem esset securus; quassatus, moritur. De pelle eius facta sunt tympana et cribra, quae semper battuntur, et qui putabat post mortem esse securus, post mortem caeditur.

246. Asinus et Tempora Anni

Media hieme asinus, frigoris impatiens, ver tepidum tenerasque herbas desiderabat. Vere tamen redeunte, redibant etiam hominum et iumentorum labores. Deinde asinus, laboris impatiens, veris etiam odium suscepit, et multis precibus aestatis adventum orabat. Aestas autem maiores secum labores attulit. Tunc asinus, “O si autumnus rediret,” quotidie exclamabat. Autumni autem labores omnium gravissimi erant: poma in urbem, messes in horrea erant portanda. Itaque hiberna frigora autumni laboribus potiora videbantur.

> *Non enim tempora anni vitam reddunt beatiorem, sed labores libenter suscipere.*

247. Asinus Oneratus et Rusticus

Rusticus asinum agebat, sarcina sua gravatum quantum satis esse debebat. Cum iter carperet, rusticus “En, hinc prope,” inquit, “virgulta mihi adstant. Decerpere igitur esse operae pretium puto. Resiste, barde! Id oneris additum feres.” Nec mora; herus imprudens virgulta caedit et colligat, pondusque novum ponderi iusto adiiciens. Cumque lapidum strues iuxta viam seposita forte occurreret et ex illis duos videret qui sibi prae ceteris placerent, “Stulte facerem,” ait, “si bonum negligerem quod fortuna tam benigna mihi obiicit.” Atque lapides duo, quos manus facile tollit, quantillum oneris est? Et hos, aselle mi, feres.” Cumque aestus nudum incedere suaderet, vestem sibi detrahit et non dubitat ceteris quoque impedimentis eam ingerere. Asinus enimvero, cum in via offendiculum pedem fefellisset, cadit et, sarcina oppressus, perit.

248. Asinus Fimum et Flores Gerens

Asellus ibat, fimo olente oneratus. Cum vero plerique de via late decederent, pestem fetidam refugientes, “Hi nos verentur,” ait, “et nostris meritis debitum honorum praestant.” Altera die rediit, flores gerens figlinis vasibus

positos. Ad ipsum multi accedunt, odores optimos et colores vividos secuti. At ille existimat turbam confluxisse se unum videndi et admirandi gratia.

Stupiditas hoc percommodum oppido habet,
quod cuncta facile in optimam partem accipit.

249. Asinus Res Sacras Portans

Asinus quidam res sacras portabat, ratus sese venerari homines. Itaque erectus incedebat, tamquam sibi tus illud atque carmina acciperet. Cuius errorem cum mox vidit aliquis, “Mi asine,” inquit, “istam vanitatem tibi excute. Non te, sed istas res sacras caerimoniis colunt; isti divo haec religio debetur.”

250. Asinus Somnians

Asinus arcte dormiebat; mihi credetur, nam quis arctius asino dormire solet? Sed et ille somniabat, et iam sibi videbatur asinus non esse, at animal sagax, at homo! Vicibus his obeundis, quas miseras ipse tamdiu obivit, nunc herus imperiosus alios exercet et asinos prae se agit, flagello caedens, et “O stupidum genus,” ait, “et pravum et indocile! Quam gravis hominum conditio, quos his animalibus regendis studere oportet!” Dum hoc modo superbit, agaso fuste nodoso stertentem excitat.

Fabula asinis bipedibus multis convenit.

251. Muli et Dominus Stultus

Stultus, cursum olympiacum certamine vincere posse putans, ad hoc mulos emit geminos. Quibus pabula larga studiose praebens, putabat eos ad cursum promptos fieri posse. Tempus cursus erat; bigam conscendit et mulos ambos exagitat, stimulis suppositis. Sed quo plus properat, hoc plus animalia tardant, et pigra probant quo patre progenita sint. Cursores alii iam metam prope attigerant; hic vix adhuc coeperat via recta ire. Turba circumstans cachinnum magnum attollit et stultum caeno atque luto stercorat. Ille tandem fugiens mulos

suos acriter caedebat ut turbam evadere posset. Tunc unus illorum ait, “Rustice pessime, cur nos pati cogis flagella dura quae tu meruisti? Numquid, cum nos emisti, non nosti nos asino genitos, natura pigro?”

252. Muli et Latrones

Ibant muli duo sarcinis onusti. Alter fiscos cum pecunia, alter saccos hordei ferebat. Ille, cum onere superbiret, celsam cervicem iactat et clarum tintinnabulum in collo gerit. Comes placido gradu sequitur. Subito latrones ex insidiis advolant et mulum, qui argentum ferebat, ferro vulnerant, homines fugant, nummosque diripiunt. Alterius muli hordeum neglectum est. Cum igitur ille spoliatus et vulneratus casum suum defleret, “Equidem,” inquit alter, “gaudeo, quod contemptus sum. Ego nihil amisi neque vulnere laesus sum.”

253. Mulus et Equus

Mulus, conspiciens equum aureo freno ephippioque insignem et purpureis opertum phaleris, rumpebatur invidia, illum beatum reputans, qui continuo optimis vesceretur cibis et decoro amiciretur ornatu; se autem prae illo infelicem, qui, clitellis male dolatis oppressus, quotidie maxima onera ferre cogeretur. At ubi vidit equum pugna redeuntem, multis affectum vulneribus, prae illius calamitate se felicem appellabat, longe melius esse dicens quotidiano labore durum victum quaeritare et turpiter vestiri quam post optimos et delicatos cibos et tantos ornatus mortis adire discrimina.

254. Mulus et Nomen Eius

Mulus pascebat in prato veniensque vulpes interrogavit, “Quo vocaris nomine?” Tunc mulus “Ignoro,” inquit, “quia eram parvulus quando pater meus fuit mortuus. Ne autem oblivioni traderetur nomen meum, fecit scribi in pede meo. Si ergo vis scire nomen meum, lege in pede meo.” Vulpes autem, intellegens dolum, ivit in silvam ad

lupum et ait, “Vade in pratum hic prope et ibi invenies bestiam magnam crassamque.” Tunc lupus, pergens ad mulum in prato, ait, “Quomodo vocaris?” At mulus, “Si scire vis meum vocabulum, vade et lege in pede meo.” Tunc lupus ivit ad pedem muli at mulus, percutiens eum in mediam frontem, oculos ac cerebrum ei excussit in terram. Tunc vulpecula ait, “Litteras nesciebas et legere volebas; es ita percussus.”

255. Mula et Crabro

Crabro, involans in caput clitellariae mulae, “Quin moves te,” inquit, “et gressus incitas! An ego te, lentam viatricem, nisi pergis, instigabo?” Cui mula “Non ego te curo,” inquit, “sed fustes et stimulum illius, qui me sequitur,” mulionem significans, “a quo si mihi quiete esse liceat, tuos facile, mi crabuncule, impetus pertulero.”

256. Mula et Imago Eius

Mula, cum in flumine suam imaginem conspexisset, forma et strenuitate equis se cedere negabat. Caput igitur quassans et iubas iactans, incitabat sese ad cursuram. Aderat et asinus illis in locis, qui forte tum rudere coepit. Quo sonitu audito atque agnito, mula “Profecto,” inquit, “pater meam castigat superbiam.”

257. Equus, Asinus, et Hordeum

Equum cum rogaret asinus parum sibi hordei dare, “Libenter,” inquit, “si possem, et pro dignitate nostra large tribuerem. Sed cum venerimus ad praesepia vespere, dabo tibi folliculum plenum farre.” Et asellus, “Qui rem tam parvam negas, quid in maiori te facturum existimem?”

> *Fabula scripta est eis qui cum magna promittunt, parva negant; est in dando nolens tenax in pollicitando.*

258. Equus et Asellus Onustus

Agitabat coriarius quidam una equum et asinum onustum. Sed in via fatiscens, asinus rogabat equum ut sibi succurreret et velit portiunculam oneris tanti tolerare. Recusabat equus, et mox asinus oneri totus succubuit et halitum clausit supremum. Herus accedens mortuo asino sarcinam detraxit et, pelle superaddita excoriata, omnia equo imposuit. Quod cum sensisset, equus ingemuit, inquiens, “Quam misellus ego qui, cum portiunculam oneris socii ferre recusaverim, iam totam sarcinam cogar tolerare.”

259. Equus et Asinus, Pugnantes

Equus, odio instinctus, asinum calcibus infestis petivit et vulnere gravi afflixit. At in medio ictu ipse sibi inflixit malefacti poenam: dissoluta enim cartilagine, tibiarum alteram luxavit ita ut, dolorem saevientem non ferens, coactus fuerit, non sine aegro luctu, artus languidos humi deponere. Quem videns, “Ego male valebam,” inquit asinus, “sed mihi iam incipit nunc bene esse, cum sic iaces.”

Laeso doloris remedium est inimici dolor.

260. Equus Superbus et Asinus

Equus phaleris sellaque ornatus cum ingenti hinnitu per viam currebat. Currenti onustus asellus forte obstabat, cui equus, fremebundus, “Quid,” inquit, “ignave, obsistis equo? Cede, inquam, aut te proculcabo pedibus!” Asellus, rudere non ausus, cedit tacitus. Equo provolanti crepat inguen. Tum, cursui inutilis, ornamentis spoliatur. Postea cum carro venientem asinus affatur, “Heus, mi amice! Quis ille ornatus est? Ubi aurea sella? Ubi splendidum frenum? Sic, amice, necesse fuit evenire superbienti.”

261. Equus et Hirci Tres

Ubi erant tres hirci, viderunt equum, timentem leonemque fugientem, et deridebant ei. Ille autem

respondebat eis, “O desperati et ignari, si sciretis quis me persequitur, non minus paveretis.”

262. Equus, Lupus, et Hordeum

Lupus, cum per arvum quoddam erraret, forte hordei copiam reperit sed, cum eo uti in cibum minime posset, relicto discessit. Equo autem mox obviam factus, eum ad arvum illud ut veniret hortabatur, aiens ut repertum hordeum non comederit, sed ipsi reservaverit, quod dentium equi strepitum audire summae sibi esset voluptati. Cui equus subiiciens, “Heus tu,” ait, “si lupi hordeo vesci possent, haud profecto aures ventri praeposuisses.”

263. Equus et Spinae

Equus esuriens vidit agrum segete laetum, sed spinas quae viam claudebant non aspexit, donec viscerum gravia vulnera sensit.

> *Sic cupidi cupienda vident sed, spinosos aditus minus considerantes, in lucra dum properant, pro lucris damna reportant.*

264. Equus Incultus

Equi complures ad circenses ludos fuerant adducti, pulcherrimis phaleris ornati, praeter unum quem ceteri ut incultum et ad huiusmodi certamen ineptum irridebant, nec umquam victorem futurum opinabantur. Sed ubi currendi tempus advenit et, dato tuba signo, cuncti e carceribus exsiliere, tum demum innotuit quanto hic, paulo ante irrisus, ceteros velocitate superaret. Omnibus enim aliis post se longo intervallo relictis, palmam assecutus est.

> *Fabula indicat non ex habitu sed ex virtute homines iudicandos.*

265. Equus Furibundus et Adolescens

Conscenderat adolescens equum furibundum, illoque qua via quaque nulla via esset auferente miserum, non enim vires adolescentis ad cohibendum impetum equi satis neque in hoc desiliendi potestas erat. Plorabat igitur ille et lamentabatur. Tum forte obviam huic notus et familiaris factus, “Quonam abis?” inquit. Cui respondit infelix eques, “Quo quidem isti,” equum demonstrans, “lubuerit.”

> *Similier vehuntur ii, in cupiditates qui suas sese imposuere.*

266. Equi Duo et Dominus Eorum

Miles, equum habens optimum, emit alium, nequaquam illi bonitate parem, quem multo diligentius quam priorem nutricabat. Tunc priori sic ait, “Cur me dominus quam te impensius curat, cum tibi neque pulchritudine nec robore neque velocitate comparandus sim?” Cui ille “Est haec,” inquit, “hominum natura, ut semper in novos hospites benigniores sint.”

> *Haec fabula indicat hominum amentiam, qui nova, etiamsi deteriora sint, solent veteribus anteponere.*

267. Equi Duo, Fratres

Equiso equos duos coemerat, eadem matre natos, viribus firmis praeditos et forma corporis elegante. Hos educare coepit. Alter quidem se praebuit ad cuncta eius praecepta docilem. At alter, obstinatus, indole aspera, dominum refutat: os durum, caput mobilius, cervix rigidior, nulla celeritas pedum, crurum mollitia nulla; quomodo gyros variare disceret, vel tolutim incedere? Equiso ergo hunc vendidit mulioni. Post tempus, cum ambo forte in publici hospitis domum simul devenirent, hic horridus et sarcinas graves gerens adspicit fratrem, alacrem, nitentem et equite nobili superbum, pondere glorioso. Salutat et tristis requirit unde vitam tam disparem agant, cum simili loco uterque prognatus sit. Ille respondet, “Frater,

omne hoc bonum quod in me inesse vides, educatio bene collocata fecit.”

268. Equus Unus et Dominus Eius

Agricola quidam solum habuit equum. Videbatur sibi, si unum adhuc haberet, quod eo melius arare posset et agrum colere. Supplex ergo Deum rogavit et oblationes fecit et eleemosynas ut de munere divino alium equum acquirere posset. Dum itaque in hiis votis frequens esset et Deum orando fatigaret, contigit furem solum eius equum subtrahere. Equo igitur sic amisso, homo vota sua mutavit et orationes, dicens, “Domine Deus, subtractum si reddas equum, pro alio de cetero tua moenia non pulsabo.”

269. Equus et Venator

Equus et cervus inimicitias habebant inter se. Equus sese ad venatorem contulit et ait, “Est cervus mirabilis, quem si venabulo poteris transfigere carne abundabis. Tu vero, super me sedens, cum secutus fuero, venabulo manu tua excussa; cervo occiso, gratulabimur ambo.” Hoc dicto, venator, super equum sedens, cervum de loco movit sagittis et incursu. Cervus in saltum cursu veloci illaesus evasit. Equus vero, cum se sudore fatigatum videret, sic dixisse fertur, “Descende et solito more transige vitam tuam.” Cui contra sessor desuper, “Non habes,” inquit, “potestatem currendi, qui frenum in ore habes, nec saltum dare potes, quia sella te premit. Si calcitrare volueris, flagellum in manu teneo.”

Illos increpat haec fabula qui, cum voluerint alios nocere, se potius subiugant.

270. Equa, Pullus, et Homo

Dum quidam veheretur equa gravida, enixa est pullum. Qui cum statim cursum matris esset secutus, celeriter fatigatus, sic allocutus est vectorem matris, “Vides me infirmum et ineptum ad iter faciendum. Scias ergo me

continuo periturum, si hic relictus fuero. Si me hinc sustuleris, eoque duxeris ubi ali possum, adultus postea te veham.”

271. Equus et Sus

Sus, deliciis infamibus satur, in volutabro acquiescebat et segniter incubabat, totus luto immundo conspersus, cum forte vidit equum sonipedem procedere, ad Martis pericula rite apparatum. Contempsit ac gloria inani tumentem derisit, ut qui necem certam quaereret tanto apparatu. Equus ferox nihilo secius properat et mox in media arma se infert et animos sui ductoris aequat, vel etiam superat. Vulneribus quidem aliquot afficitur, at quae facile sanari queant. Et demum, cum redit clarus herilis certaminis gloria et sua laude propria, suem hunc eumdem videt, qui se ab omni periculo remotum putarat, occisum a villico, et eius membra pinguia iam fixa verubus ferreis ad convivium geniale.

Mors saepe, omissis fortibus, inertes petit.

272. Equus et Equiso Eius

Hordeum equi surreptum divendens, equiso eum quotidie et comere et perfricare solebat. At equus “Heus tu,” inquit, “si vere me pulchrum esse cupis, hordeum, quo nutrior, quaeso ne vendas.”

Ita avari, verba dando et adulando, inopes inescant, eosque iis etiam spoliant, quae sunt ad vivendum necessaria.

273. Equus et Eques

Eques equum, quamdiu bellatum est, alebat hordeo pascebatque faeno. At, cessante bello, cum deinceps pax fuit et stipendium eques ex publico non amplius accepit, tunc equus iste saepius ex silva crassos ad urbem deducebat truncos, ac mercede onus alias aliud ferebat, vilibus ex stipulis sustentans animam. Clitellas etiam dorso gestabat, non iam ephippia. Ut vero rursus ante

moenia novum insonuit bellum iussitque tuba cunctis clypeos detergere, curare equos et ferrum acuere, equum dominus ille, iniecto freno, produxit inscensurus. Ast equus obliquo claudicabat pede, non amplius valens viribus, dixitque, “Accenseto hoplitis te peditibus. Qui enim ex equis ad asinos me transtulisti, quo rursus modo equum ex asino me restitues?”

274. Equi Saltantes

Sybaritas in Italia luxuriae nimium addictos fuisse ferunt, et reliquarum rerum studium negligentes ignorasse, et vitam in otio et sumptuoso luxu transegisse. Equi eis instituti erant ut inter epulas ad tibiarum numeros saltarent. Quod cum scirent Crotoniatae et bellum adversus eos gererent, tubam et omnem vehementiorem et adhortatorium ad arma sonum silere iusserunt. Tibiam vero et tibicines secum in acie adducto, cum iam intra sagittae ictum ab hoste abessent, numeros saltationi aptos canere praeceperunt. Quibus auditis, Sybaritarum equi, saltationis domesticae memoria, tanquam in mediis versarentur conviviis, excussis sessoribus, saltare et tripudiare coeperunt, et, confuso Sybaritarum ordine, stragis et cladis causa suis fuerunt dominis.

275. Equus Circensis Molae Iugatus

Equus senior fuit quondam molendae farinae venumdatus. Molae iugatus vesperam misellus totam atque ideo suspirans, “Cursibus,” inquit, “ex qualibus quales in gyros propter farinulas compellor.”

> *Ne superbias nimium prae iuvenilis vigoris ferocia;*
> *multis senectus inter labores consumpta fuit.*

276. Equus et Pistor

Equus, senectute depressus, molam pro bello elegit. Ubi cum molere belligerandi loco cogeretur, praesentem lugens fortunam, prioris non immemor, “Mei quidem,” inquit, “O pistor, ante in bello erat usus, ornatusque circumcirca,

opera mea hominibus locata; eos sequebar. At nunc nescio quid passus, pistrinum capesso pro pugna.” Cui pistor “Cessa,” inquit, “memorare pristina.”

> *Fortuna utramque in partem hominum res mutare novit.*

277. Bos et Equus

Equum, solidas ungulas habentem, exprobrasse aliquando ferunt bovi ungulas fissas; ita enim illum ingredi tardius neque exsilire alacriter posse. Sed bovem hoc modo traditur respondisse: tarditatem conspectam non nocere.

278. Bos Laborans et Vitula

Mollis et lasciva vitula, cum bovem agricolae aculeo agitatum et arantem cerneret, contempsit. Sed, cum immolationis dies affuit, bos a iugo liberatus per pascua vagabatur; vitula vero, ut immolaretur, retenta est. Quod cum bos conspicatur, subridens ait, “Heus vitula, ideo non laborabas: ut immolareris!”

> *Qui alteri irridet, sibi ipsi caveat: qui labori suo sedulo incumbit securus est; otioso et nihil agenti pericula semper imminent.*

279. Bos et Vitulus, Iuncti

Quidam homo iunxit sub iugo bovem et vitulum. Sed vitulus, iugo insuetus et bovis societate territus, contra iugum luctabatur et collo suo cornibus illud excutere voluit. Tunc ait dominus, “Ego non iunxi vos ad laborem, sed ad instructionem ut simul ire assuescatis et concorditer iugum trahatis. Aliter enim verberibus digni estis et stimulis.”

> *Sic debet homo liberos suos sub iugo disciplinae ponere et bonis eos magistris iungere et committere, quorum exemplo et imitatione bonis moribus assuescant et studiis.*

280. Bos et Lupus

Bos, in valle quadam pastum quaerens, vidit lupum de prope venientem et, cum fugere non valeret, “Ecce,” inquit bos, “me ad tua vota paratum. Tantum unam peto a te gratiam, ut liceat mihi in hunc montem ascendere et ibidem pro anima mea et tua salute Dominum precari. Quo facto, statim ad te descendam.” “Vade,” inquit, “et ora breviter, caveasque ne traxeris ibi moram.” Ascendit itaque in montis verticem et boatu tam terribili exclamavit ut ipso mugitu ostenderet lupum gregibus imminere. Quod audientes, pastores accurrerunt cum canibus, qui lupum diris morsibus discerpserunt. At ille, ululans, ait bovi, “O frater, male pro me orasti.” “Scio enim,” inquit bos, “me nullam a te impetraturum misericordiam; oportuit ergo me esse sollicitum de me ipso.”

281. Bos Philosophus

Bos olim philosophus fama celeberrimus erat. “Quid ista cornua magna,” ait, “me iuvant ad sapientiam quam volo consequendam? Supervacua sunt; immo, plurimum nocent. Namque quoties per nemora et sub umbris silentibus ambulo, ut sapientes solent, densis fruticibus et arborum ramulis retenta me turbant et mihi multa meditanti ne totus adesse possim vetant.” Lanium ergo rogat cornua sibi revellat. Ille monet videat porro prudens, quid roget; id sine doloris sensu vix tolerabili non posse fieri. “Falleris, bone vir,” ait bos obstinatus; “haec propago cornea sensum ipsa nec habet, nec potest progignere, neque illa nostro vertici multum adhaeret; age modo, propera.” Lanius ergo paruit sed, cum ille summis viribus niteretur, philosophus, dolore victus, manum odiosam repulit et procul fugit immugiens.

282. Bos et Iuppiter

Ferunt, initio, bovem creatum sine cornibus, adeo ut sui iuris et iugi expers vagaretur per campos, erecta cervice. Sed ubi vires suas sensit, nulli paene animalium mole corporis aut viribus cedens, exarmatum se esse indoluit.

Ergo, supplex, a Iove petiit sibi dari cornua. Annuit Iuppiter votis eius cornuaque hinc et inde capiti inseruit. Sed novae felicitatis gaudio et usu non diu potitus est. Nam cum antea non haberet unde capi et ligari posset, natis cornibus comprehensus et ligatus, iugo addictus est et arandae terrae mancipatus. Quo sub onere deinceps ingemiscit deperditam libertatem; optimum esse sentiens, si creatura se Dei arbitrio committat, et nil ab eo petat, quam quod eius beneplacitum est voluntati.

283. Boves Duo

Boves duo, validi et opimi, cum scirent perpetuis laboribus se destinari, aegre ferebant. Quorum unus, contumacior, operam recusat et iugum detrectat. Quapropter illum, quando pinguis satis et corpulentus est, et officium debitum praestare negat et alio modo prodesse non potest, herus interficit. Quod alter videns, fata sua secum sic ruminat, "Malum duplex mihi proponitur: labor, aut mors. Mors quidem est finis laborum, at ipsa maximus labor. Minima malorum semper eligenda sunt; ergo," inquit, "satius laborare, quam mori."

284. Boves et Coqui

Boves quondam coquos quaerebant perdere, quippe qui sibi inimicam tractabant artem. Et ideo congregabantur, iam ad proelium acuentes cornua. Unus vero illorum aliquis, valde senex, araverat enim diu, "Isti quidem," ait, "nos peritis mactant manibus ac magno trucidant sine cruciatu. Quod si in imperitos incidemus homines, duplex tunc impendebit mors. Non deerit enim qui bovem immolet, coquus etsi defuerit."

> *Qui praesens effugere cupit infortunium, providere debet ne peius quid inveniat sibi. Doctis et aequis servire dominis satius est quam scaevis parere et indoctis.*

285. Boves Somniantes

Bubulcus, stabulum ingressus, boves laetitia exsultantes aspexit. Interrogavit igitur eos quaenam esset causa laetitiae. Cui illi “Speramus,” inquiunt, “hunc diem absque labore in laetissimis pascuis nos esse ducturos.” “Quid vos,” inquit bubulcus, “ut ita credatis induxit?” “Illa,” inquiunt, “fore somniavimus.” “Nolite,” ait bubulcus, “huiusmodi somnio fidem adhibere, quod falsum esse deprehendetis. Ego enim somniavi vos hodie araturos; hominum enim somnia quam brutorum veriora esse consueverunt.”

Fabula indicat nihil mortalium spe esse fallacius.

286. Bos Fimum Evehens

Rusticus quidam bovi suo iugum imposuit et in vehiculo fimum evexit. Qui bovem circa latera acuto stimulo monuit et grave illi onus ad trahendum adhibuit. Conversus igitur, bos domino suo coepit improperare quanta illi fecisset servitia et quantum saepe in excolendis agris suis sudaverit, et ait, “Ego tuos labores frequenter adiuvi, ego rura tua a iuventute mea utiliter excolui, et tu me modo compellis ut has inmunditias laboriose educam.” Respondit homo, “Interrogo te: quis istum fimum congessit?” Bos ait, “Congessi ego; ego illum pedibus conculcavi.” “Propterea,” inquit dominus, “quia foeditatem congessisti, non te pigeat eam laboriose extrahere.”

287. Boves et Plaustrum

Boves plaustrum trahebant, cuius axis cum strideret, conversi dixere, “Heus tu, nobis onus omne ferentibus, quid quereris?”

Ita quoque nonnulli, dum alii insudant operi,
ipsi laborare fingunt.

288. Boves et Trabs

Trabs, quae curru vehebatur, boves ut lentulos increpabat, dicens, “Currite, pigri; onus enim leve portatis.” Cui boves “Irrides nos,” responderunt, “ignara quae te poena maneat. Onus hoc nos cito deponemus; tuum autem tu, quoad rumparis, sustinere cogeris.” Indoluit trabs nec amplius boves conviciis lacessere ausa est.

Haec fabula quemlibet monet ne aliorum insultet calamitatibus, cum ipse possit maioribus subiacere.

289. Iuvencus et Rusticus

Erat rustico iuvencus, vinculi omnis iugique impatiens. Homo astutulus bestiae resecat cornua; cornibus enim petebat. Tum iungit non currui, sed aratro, ne, ut solet, herum pulsaret calcibus; stivam ipse tenet, gaudens industria effecisse, ut iam foret tutus et a cornibus et ab ungulis. Sed quid evenit? Taurus, subinde resistens, spargendo pedibus os caputque rustici opplet arena.

290. Iuvenci Duo

Iuvenci duo gramina habebant in colle, quae satis forent, larga et corpori faciendo idonea. Sed, ut inde procul aspexere viriditatem pratuli laetam, eius desiderio perciti huc se repente transferre properant. Aliquantum viae confecerant at frutetum densum permeandum se obiicit; tentant et aditum sibi inveniunt, at lupus praedator irruit. Ferus utrumque oppugnat: unum strangulat; alter agilis evadit, propellente metu. Tandemque ad pratulum expetitum pervenit. Laboris igitur solatio frui iam parat et avidus graminibus teneris se ingurgitat. At dapes letiferas recepit simulque virus cute saucia combibit. Videlicet omnis is locus serpentibus atris et herbis nocentibus infestus erat. Miser ergo, cum inde domum reversus est, languere coepit et brevi mortem obiit.

Quemcumque stulta cupiditas cogit bonum suum relinquere, meritus hic malum invenit.

291. Taurus et Vitulus

Cum taurus, in aditu angusto cornibus luctans, vix intrare posset ad praesepia, vitulus monstrabat quo pacto se flecteret. “Tace,” taurus inquit; “hoc novi ante quam tu natus es.”

292. Taurus et Culex

Culex tauri occupaverat cornu, si scilicet eum onere suo posset deprimere. Cum vero taurus id prorsus neglexisset, culex inde cupiens avolare, extremis exploratis viribus, “Si,” inquit, “molestus sum tibi, onere te levabo avolans.” Respondet taurus, “Nec te, cum accessisses, sensi; nec sentiam, si rursus abieris.”

293. Taurus et Leo, Cenantes

Leo, immani tauro insidias struens, eo potiri quoquo modo conabatur. Eum itaque his verbis olim compellans, “Amice,” ait, “pecudem mactavi; hodie, si lubet, una convivabimur.” Hoc ille dolo recumbentem taurum aggredi ac devorare meditabatur. Is itaque, cum ad eum venisset ac multas ollas veruaque ingentia, pecudem vero nullam vidisset, nihil fatus, ab antro discessit. Taurum ergo leo increpans reique huiusce causam intellegere volens, rogabat, quidnam inde, iniuriis nullis acceptis, ne salutato quidem hospite, abiret. Sed taurus “Haud temere id facio atque hinc diffugio,” respondit; “video enim non pro pecude, sed pro tauro haec omnia parari.”

294. Taurus, Cornua Eius, et Leo

Leo aliquando taurum intuitus, cibi desiderio capitur, sed cornuum acie ac ictibus perterretur. Tandem fame suasus et amicitiam fingens, taurum adoritur, namque ubi malum ad manum est, fortes etiam ac viriles animi pertimescunt et, si viderint victoriam cum violentia sibi creare perciulum, ad occultas fallacias convertuntur. “Ego itaque,” leo ait, “fortitudinem tuam admiror,

pulchritudinem tuam veneror. O, quale nobis caput obiectas! Quam praeclara, quam egregia forma es! Quantus pedibus, quantus armaris ungulis! At vero quantum capite pondus sustollis! Quid praeterea cornibus opus, cum nos inter duos pax sit?” Dictis taurus suadetur, armorumque submoto robore, facili negotio in potestatem leonis redactus, cena absque ullo discrimine leoni fit.

> *Non dissimili ratione, qui hostibus fidit, post insidias in discrimen adducitur.*

295. Taurus Solus et Leo

Taurus, ob arrogantiam et felicitatis copiam, solus pavit, ratus non decere se cum aliis tauris misceri. Solus ergo cum pasceret, leo subito apparuit, qui non ad gregem accessit, sed illum, cui nec inter dominos eius nec inter boves aliquem auxilium ferentem vidit, percussit ac laceravit.

> *Haec dicta eos notant, qui arrogantia et superbia commoti, amicos vi opprimant et torqueant, nec cum illis se coniungere velint, quando autem iis angustia eveniat, careant adiutoribus.*

296. Ovis a Cane Comprehensa

Ovis, comprehensa a cane, gregis custode, maximos edebat eiulatus. Capta autem a lupo, nullam emittebat vocem. Interrogata a pastore cur ita faceret, “Molestius,” inquit, “mihi est a cane, qui mihi custos et amicus esse debet, laedi quam a lupo, quem Natura perpetuum mihi genuit inimicum.”

297. Ovis et Canes Duo

Dum canes duo, magno furore perciti, morsibus mutuis lacerare sese instant, ovis, pacis et concordiae amica, iras componere studet et atrox proelium dirimere etiamque audet os tenerum et imbelle rictibus efferatis interponere.

Sed nec quidquam proficere valet et, inanis operae praemium, os inde discissum refert.

> *Hac fabula infirmiores monentur ne potentum rixis medios se ingerant.*

298. Ovis, Cervus, et Lupus

Cervus modium tritici ovem rogabat, lupo sponsore. At illa, dolum praemetuens, “Lupus semper adsuevit rapere atque abire; tu de conspectu fugere veloci impetu. Ubi vos requiram, cum dies advenerit?”

299. Ovis et Canis Calumniosus

Canis calumniosus dixit ad ovem, “Debes mihi reddere panem quem dederam mutuo.” Contendebant autem; ovis dicebat numquam ab illo panem se accepisse. Cum ante iudicem venissent, canis dixisse fertur habere testes. Introductus lupus ait, “Scio panem canis commodatum ovi.” Introductus milvus dixit, “Me coram accepit.” Accipiter introiens ait, “Negas tu quod accepisti?” Victa ovis a tribus falsis testibus, artius exigitur; coacta vero extractam lanam suam vendidit ut quod non acceperat redderet.

300. Oves et Lupi

Foedus aliquando fuit inter lupos et oves, quibus natura discordia est. Obsides utrimque tradebantur. Oves, in suam partem, vigilem canum custodiam, lupi suos catulos tradiderunt. Quietis ovibus ac pascentibus, lupuli matrum desiderio ululatus edunt. Tum lupi, irruentes, foedus fidemque solutam clamitant; ovesque, canum praesidio destitutas, laniant.

> *Inscitia est si in foedere praesidia tua hosti traderes, nam qui hostis fuit, hostis fortassis nondum esse desiit, forsan et ansam ceperit, cur te nudatum praesidiis adoriatur.*

301. Oves, Lupus, et Porci

Oves conquestae sunt leoni de lupo, eo quod furtive et aperte socias suas devoravit. Leo congregavit concilium; quaesivit a porcis et animalibus qualiter conversaretur inter illos. Dixerunt porci, “Domine, lupus curialis est, liberalis est et largus.” Hoc dixerunt quod lupus frequenter invitavit porcos ad agnos et arietes quos rapuit. Dixit leo, “Hoc non dicunt oves; audiamus illas.” Et ait una ovis, “Domine rex, lupus rapuit mihi ambos parentes meos, devoravit filium; vix ego evasi.” Sic clamaverunt aliae oves. Ait leo, “Iudicium detur: suspendatur lupus, et porci similiter, qui de tali praeda scienter comederunt.”

302. Oves et Sus

Suculus, in quemdam ovium gregem ingressus, cum iis una pascebatur. Olim vero a pastore prehensus, grunnitus magnos edebat atque effugere omni vi nitebatur. Eum itaque oves ob tot tantosque clamores increpare coeperunt, aientes, “Nos quoque continuo pastor manu prehendit, nec tamen ita clamamus.” Quibus tum suculus “Non vestrae similis,” ait, “captura mea est. Vos enim aut propter lanam aut propter agnos, me vero ob carnem tantummodo capit.”

303. Ovis, Lupus, et Pacis Osculum

Rex animalium convocavit omnia animalia bruta et constituit ut oscularentur adinvicem ubicumque obviarent in signum foederis pacis et amoris. Postea quidam lupus obviavit cuidam ovi, quae se longe retraxit ab illo, malitiam suam perhorrescens. Cui lupus, “Accede, carissima, ut edicto regis nuper edito pareamus,” multis affatibus blandis interpositis. Respondit ovis in promissis suis non confidere, eo quod tot mala in animalia sui generis saepius molitus est. Unde lupus convenit cum ea quod, resupinus, clausis oculis iaceret et sic oscularetur eam, ne incideret edictum. Cui ovis improvida adquievit et subito accessit ad eum et, osculans, vix evasit a faucibus eius iniquis, dicens, “Quamvis dulciter loquaris, coloratum

amorem praetendendo, malitiam tamen tuam consuetam in opere non poteris simulare."

304. Ovis Callida et Lupus

Fame coactus, lupus praedam quaerebat, sed canes pecus defendebant. Necessitas ingenium stimulavit; pelle ovilla corpus sibi obtegit. Ita personatus tecta petit ubi oves calorem meridiani solis vitabant, et unam per rimulas sic allocutus est, "Huc mecum ades, soror, quo gramina dulcia vocant." Bidens lupi vocem agnovit et, dolum dolo castigans, "Ultro obsequerer," dixit, "si quis lupus generosus tu esses et validus, qui me, nimis timidam et infirmam, ab hostibus defenderes." "Nil metue," lupus reponit; "ego talis sum, qualem tu velis," et simul larvam abiicit. Ovis "Bene mihi est," inquit; "vix alius custos validior esse potest. Iuvat tamen adsciscere boni nostri participes quosdam; paulum opperire, dum canes huc advoco." Lupus, timens ne mora damnum sibi afferret, statim pedibus suis salutem credidit.

305. Ovis et Lupus Saucius

Iacebat humi lupus, male tractatus a canibus et cibi indigus ac appetens. Visam eminus ovem vocat; rogat ut de vicino fonte sibi aquam afferat. "Quid aqua esurienti?" inquit illa; "quaere tibi prius cibum." "Sufficit," inquit lupus, "si potum praestes; de cibo mihi providebo." Illa, verba et finem lupi subodorans, "Capio te, amice lupe," ait, "si tibi aquam dedero, dedero etiam cibum; de me te cibaturus es. Vale; alio vocor, longe a tuis dentibus et ventre."

306. Oves Timidae et Pastor

Pastor qui magnum caprarum oviumque gregem habebat, videns gregem suum quotidie lupi escam fieri ac minui, oves et capras congregans, longa eos oratione hortatus est ne vellent lupum formidare, cum essent numero plures, et cornibus, quibus lupus careret, insuper armatae; sed

vellent unanimiter et auxilio mutuo sese ab illius impetu et furore defendere, promittens se quoque eius non defuturum. Illae, hac oratione animatae, promittunt iurantque se nequaquam lupo cessuras. Cum autem paulo post lupus adventare nuntiaretur, tanto timore affectae sunt ut nullis pastoris verbis possent a fuga cohiberi. Tunc pastor secum “Impossibile est,” inquit, “mutari posse Naturam.”

307. Ovis et Pastoris Minae

Ovis conviciabatur pastori quod non contentus lacte quod in usum suum filiorumque ab ea mulgebat, insuper vellere illam denudaret. Tunc pastor, iratus, filium eius trahebat ad mortem. “Ecquid,” inquit ovis, “peius mihi facere potes?” “Ut te,” inquit pastor, “occidam et lupis canibusque proiiciam devorandam.” Siluit ovis, maiora adhuc mala formidans.

Haec fabula indicat non debere homines in Deum excandescere, si divitias, si filios ipsis permittat auferri, cum etiam maiora et viventibus et mortuis possit inferre supplicia.

308. Ovis et Vidua

Quaedam olim vidua domi nutriebat ovem. Quae, cum cuperet lanam habere longiorem, imperita tondebat manu bidentem cuticulaque tenus forcipe demetebat vellus, adeo ut vulnus faceret. “Ne me laedas,” bestia dolens inquit, “quid enim ponderis sanguis adiiciet meus? Ast carnis si meae opus est tibi, domina, adest coquus, qui me compendiose immolabit. Quod si lanae et velleris eges, non vero carnium, rursus est tonsor, qui me tondebit ac sinet vivere.”

Fabula in eos qui inexperti res adgrediuntur, ita ut minus lucri importent sibi quam damni.

309. Agnus, Pastor, et Lanius

Pastor et lanius idem iter habebant. Cum itaque inter eundum pinguissimum agnum, seorsum e grege suo aberrantem et a ceteris relictum, vidissent, ambo in illum accurrerunt. Bruta tunc temporis humana voce loquebantur; quapropter agnus, ut sciret cui sese committeret, quis uterque eorum esset exquirebat. Quod ubi intellexit artemque utriusque percepit, pastori statim se tradidit. Lanio contra, “Tu,” inquit, “carnifex es gregisque nostri crudelis mactator. Proinde mores nostri cum pastore magis congruunt.”

310. Agnus et Canis

Inter capellas agno vaganti canis dixisse fertur, “Non est hic mater tua,” et, ostendens ei oves longius segregatas, “ecce mater tua.” Agnus vero ait, “Non illam quaero quae me concepit in utero, sed haec est quae me nutrit et dat ubera sua mihi, natos autem suos, ut mihi lac non desit, fraudat.” Econtra canis ait, “Tamen illa est tibi fortior mater.” At agnus ait, “Verum est, sed illa me peperit; ista beneficio mater est.”

311. Agnus et Lupus, Bibentes

Lupus et agnus, siti compulsi, ad eundem rivum venerant. Superior lupus, longe inferior agnus stabat. Tunc improbus latro, iurgii causam quaerens, “Cur,” inquit, “aquam mihi bibenti turbulentam fecisti?” Agnus, perterritus, “Quomodo,” inquit, “hoc facere possum? Aqua a te ad me decurrit.” Lupus, veritate rei repulsus, “Sex menses abhinc,” inquit, “mihi maledixisti.” “Illo tempore,” respondit agnus, “equidem nondum natus eram.” “Hercle igitur,” inquit lupus, “pater tuus de me male locutus est!” Atque ita correptum agnum dilaniat.

312. Agnus in Templo et Lupus

Lupus agnum insequebatur; is vero in templum confugit. Porro cum lupus evocaret, aiens quod, si sacerdos eum caperet, statim templi illius numini sacrificaret, “Optatius est mihi,” respondit agnus, “Dei victimam esse quam a te dilacerari.”

313. Aries Canis Pelle Indutus

Quidam paterfamilias habebat gregem ovium, morabaturque cum ipsis pro custodia canis maximus atque ferocissimus; tandem canis mortuus est. Quidam aries superbus ait pastoribus, “Auferte a me lanam ac cornua abscindite, meque canis pelle induite mortui, et sic omnes lupos visu terrebo.” Cumque venissent lupi more solito, statim ut viderunt arietem a longe, pelle canis indutum, fugerunt prae nimio timore. Quadam autem die, venit lupus, valde famelicus, tulitque agnum ac fugit. Cumque instantius aries insequeretur, casu evenit iuxta viam spinae positae pellem canis scinderent, qua aries erat indutus, subitoque ovina pellis apparuit. Videns hoc, lupus dolum intellexit statimque trucidavit eum et comedit.

Docet haec fabula insipientes ac infirmos ne temere praesumant per dolum decipere sapientes ac fortes.

314. Aries et Taurus

Aries quidam inter lanigeros greges erat, tanta cornuum et capitis firmitate ut ceteros arietes statim facileque superaret. Quare, cum nullum amplius arietem inveniret qui occursanti sibi auderet obsistere, crebris elatus victoriis, taurum ausus est ad certamen provocare. Sed primo congressu, cum in taurinam frontem arietasset, tam atroci ictu repercussus est ut fere moriens haec diceret, “Stultus ego! Quid egi? Cur tam potentem adversarium ausus sum lacessere, cui me imparem creavit Natura?”

315. Arietes Duo et Lupus

Lupus invenit duos arietes proeliantes in prato et ait, “Unum ex vobis comedam.” At aries unus respondit, “Ut placet, ita fac. Sed prius iudica inter nos rectum iudicium: hoc pratum fuit patribus nostris; nos autem, ignorantes ipsum dividere, agimus proelium.” At lupus, “Faciam ut vultis, si dixeritis modum.” Tunc unus aries ait, “Sta, domine, in medio prato; ego ibo ad unum caput prati, et alius ad aliud caput, et quis prior fuerit ad te, illi sit pratum, et tu alterum comede.” At lupus ait, “Ita facite.” Et, abeuntes ad capita prati, arietes venerunt cum magno impetu velociter usque ad lupum et percusserunt eum ex utraque parte ita vehementer, ut stercoribus coinquinaretur. Fractis eius costis, arietes abierunt, semivivo relicto.

316. Verveces et Lanius

Verveces in collectu cum essent una cum arietibus, lanium intrare inter se dissimulaverunt se videre. Cum autem unum ex sese cernerent manu lanii mortifera teneri, trahi et interfici, nec sic timuerunt; sed intra se dicebant, “Me non tangit, te non; dimittemus. Trahat quem trahit.” Novissime remansit unus. Cumque et ipse traheretur, sic dixisse lanio fertur, “Digne sumus laniati sigillatim ab uno, qui nobismet non prospeximus. Qui cum in uno essemus, te in medio nostri cum aspeximus, decuerat ut te capitibus nostris quassatum occideremus.”

317. Caprae et Taurus

Taurus, leonem fugiens, in specu quodam inhibuit fugam. Caprae agrestes autem, quae ibi erant, continuo in eum cornibus fecerunt impetum. Quas taurus ita allocutus fertur, “Non vos metuo, sed illum, qui ante speluncam me praestolatur.”

318. Capra et Caprarius

Capram, aberrantem a grege longius, congregare rursus volebat caprarius. Ut vero, vocibus et fistulae sonitu usus, nihil profecit, misso lapide, et, cornu forte percusso, rogabat ne apud dominum se deferret. At illa “Amentissime,” inquit, “caprarie, cornu sonabit, etiamsi ego taceam.”

Sic stulti nimis sunt, qui manifesta occultata volunt.

319. Caprae Silvestres et Caprarius

In desertam speluncam caprarius, hieme deductis capris, silvestres inibi capras reperit hircosque, longe plures et grandiores illis quos habebat. Propriis ergo propter silvestres capris dimissis, illas frondibus educavit. Ubi vero serenitas advenit, proprias quidem demortuas fame reperit, silvestres vero in montem effugere. At caprarius, ridens, domum vacuus reversus est.

Non decet ullo modo nos propria negligere spe lucri ex alienis rebus futuri.

320. Capra et Asinus

Asinum una et capram nutriebat quidam. Capra vero, escam asino invidens abundantem, suggessit ei ut graviter a domino, modo molens, modo onera ferens, plecteretur, ac simul consuluit ut, comitiali simulato morbo, in foveam aliquam decidens, dulci otio et requie frueretur. Caprae dictis asinus parens, in foveam se deiecit, eoque lapsu contritus est. Tunc herus vocatum medicum, ut asino opitularetur, rogavit. Ille caprae pulmonem infundere iussit eoque pacto sanatum iri asinum. Nec mora, capra mactata, asinum sanavere.

Qui aliis insidias struit, sibi ipsi est malorum auctor.

321. Capra et Canis

Capra, esuriens, hortum quendam ubi virentia viderat olera, intrare cupiebat, sed canis molossus, quem olitor custodem apposuerat, non permittebat, minitans ei mortem, si pedem introferre tentaret. Cui capra “Quid,” inquit, “me esse prohibes, quae tibi nulli sunt usui?” “Nulla,” respondit canis, “ratione hoc facio, sed quia ita mihi insitum est a Natura.”

> *Fabula exprimit naturam avarorum, qui multis rebus abundant, quibus neque ipsi fruuntur, neque alios frui patiuntur.*

322. Capra in Rupe Stans et Lupus

Lupus capram in alta rupe stantem conspicatus, “Cur non,” inquit, “relinquis nuda illa et sterilia loca, et huc descendis in herbidos campos qui tibi laetum pabulum offerunt?” Cui respondit capra, “Mihi non est in animo dulcia tutis praeponere.”

323. Caprae in Clibanum Ingressae et Lupus

Lupus vidit capras stantes super clibanum et dixit, “Deo gratias rependo quia video mihi cibum amabilem!” Et coepit ire ad eas. Caprae autem, ut viderunt venire lupum, absconderunt se in clibanum. Lupus autem, veniens ante furnum, ait, “Avete, sorores. Certe ex vobis comedam usque ad saturitatem.” At illae dixerunt, “Audi, domine: nos ob nullam aliam causam huc venimus, nisi ad sacra celebrandum. Quare oramus ut cantes; postea, finitis sacris, egrediemur ad te et facies quod tibi placuerit.” At ille, fingens se pontificem, coepit ante clibanum ululare magnis vocibus. Homines autem vici illius, audientes lupum ululare, exierunt cum fustibus et canibus et percusserunt eum usque fere ad mortem, et vix semivivus evasit.

324. Hircus Equitans

Hircus semel factus est servus asini, et vidit eum simplicem et humilem. Ascendit asinum et voluit equitare. Asinus, iratus, erexit pedes anteriores et cecidit retro super dorsum suum, et hircum oppressit et interfecit, dicens, “Si asinus est dominus tuus, ne equites ipsum.”

325. Hircus et Statua Ahenea

Conspicatus aheneam statuam, hircus, qui sibi magnitudine cornuum admodum placebat, in illam magno impetu se intulit, quasi prima incursione eversurus. Sed tantum abfuit ut illam prosterneret, ut ipse fractis cornibus collabens animo linqueretur.

326. Hircus et Umbra Eius

Lupus insequebatur hircum at ille subiit in rupem altam; lupus obsedit eum et, post triduum, cum lupus sustineret famem et hircus sitim, discesserunt utrique, lupus prior ut cibum caperet, hircus vero postea ut aquam potaret. Hircus, cum ad satietatem potasset, aspiciens umbram suam in aqua, dixit, “Quam pulchram barbam et quam magna cornua habeo, sed lupus me fugat. Ammodo ergo ei resistam!” Lupus autem, silenter, retro eum, auscultabat omnia verba haec. Infigens autem fortiter dentes in hirci coxam, dixit, “Quid hoc est quod loqueris, frater hirce?” Hircus autem, ut sensit se captum, ait, “O domine meus lupe, misericordiam peto. Agnosco culpam, quia hircus postquam potat, quod non debet parabolat.” Ast lupus non pepercit, sed vorat illum.

327. Hircus et Vulpes in Puteo

Vulpes et hircus, sitientes, in quendam puteum, ut sitim extinguerent, descenderunt. Verum enim post potum, cum egressum circumspiceret hircus, vulpes ei comiter ait, “Bono sis animo! Nam quid saluti nostrae opus sit, probe animadverti. Si enim rectus stabis et pedibus anterioribus cornibusve muro adhaerebis, tuas ergo

scapulas cornuaque conscendens exibo. Cumque egressa fuero, te manu comprehendens, hinc desuper traham." Huic hircus prompte deservivit. Vulpes, suo exsultans egressu, circa os putei hirco alludebat. At dum hircus illam incusat sibi pacta haud servasse, ei facete vulpecula inquit, "Si ea, hirce, sapientia praeditus esses quo pilorum ornatu istaec tua barba referta est, non prius in puteum descendisses quam egressum pensiculate vidisses."

328. Haedus et Lupus Fores Pulsans

Capra, cum itura esset pastum, haedum domi concludit, monens nemini aperire dum ipsa redeat. Lupus, qui procul id audiverat, post matris discessum, fores pulsat, voce caprissat, iubens recludi. Haedus, dolum praesentiens, inquit, "Non aperio, nam etsi vox caprissat, tamen equidem lupum per rimas video."

329. Haedus in Tecto et Lupus

Haedus, in superiori cuiusdam altissimae domus parte cum esset, ut vidit lupum praetereuntem, eum conviciis insectari coepit. Cui lupus "Non tu mihi," ait, "convicia haec ingeris, sed locus in quo degis."

> *Fabula significat quod locus et tempus contra potentiores persaepe audaciam addunt.*

330. Haedus Saltans et Lupus

Haedus a grege aberraverat; hunc lupus visum insequi coepit. Qui cum intellegeret se viribus suis malum effugere non posse, callidum consilium iniit et, ad lupum conversus, "Mi lupe," inquit, "video me futurum esse cibum tuum. Tu tamen ne gravere, parva in re, benigne mihi facere et, quo iucundius finiam vitam, prius carmen aliquod accinito, ad quod saltando exhilarer. Ita etiam caruncula mea suavior erit." Statuit morem gerere lupus

haedo et alta voce edit ululatum. Quo audito, canes accurrunt; tum relicto lupus haedo fugam faciebat. “Sed enim iure,” inquit, “hoc mihi evenit. Me enim qui coquus esse debueram, cantorem agere non oportuit.”

331. Sus Parturiens et Lupus

Parturiebat sus; pollicetur lupus se custodem fore fetus. Respondet puerpera lupi obsequio se non egere, oratque, si velit pius haberi, longius abeat; lupi enim benevolentia constabat non praesentia, sed absentia.

> *Non sunt cuncta cunctis credenda; multi enim suam operam pollicentur non tui amore, sed sui, suum quaerentes commodum, non tuum.*

332. Sus, Porcelli Eius, et Lupus

Lupus invenit scrofam cum porcellis suis pascentem et ait ad eam, “Comedam, soror mea, ex porcellis tuis.” Respondit scrofa, “Ita facies, ut placuerit. Sed rogo ut prius laventur aqua pura, nam non sunt ritui nostro lauti, et tunc manducabis ex eis secundum voluntatem tuam.” At lupus “Ostende,” inquit, “fontem.” Tunc scrofa duxit eum ad canalem, per quam influebat aqua in molendinum, et ait, “Ecce fons sanctificatus.” Lupus, stans in summitate canalis fingensque se presbiterum, voluit arripere porcellum et intingere in aquam. Tunc scrofa cum grunnitu oris vehementer impetiit lupum per mediam canalem et vis aquarum rapuit eum usque ad rotam ligneam, ac radii rotae contriverunt vehementer membra eius.

333. Porcus et Nautae

Cum mare, fluctibus iratis acerbum, navem vexaret et nautas, metu exanimes, turbaret, porcus interea iacebat, gravi sopore mersus. Illi desidem excitant et, tam supinam inertiam exprobrantes, “Commune,” clamant, “non sentis

periculum? Dormire potes, dum cuncta mortem intentant?" "Trepidate, stulti," porcus refert, grunniens; "ista securitas me sapientem probat." Nautae reponunt, "Immo socordem probat."

Apathia, tantis Stoicorum laudibus celebrata, hac fabula notatur.

334. Porcellus et Testamentum

Porcellus mortem parentum ingenti clamore deflebat. Sed cum, lectis testamenti tabulis, magnum glandis acervum multosque farinae modios sibi relictos cognovisset, obticuit. Rogatus cur non amplius fleret, "Farina," inquit, "et glandes os mihi occluserunt."

335. Porci Duo, Inimici

Porci duo erant cuidam subulco, tam immortale inter se odium et perpetuas inimicitias habentes ut quotidie sese dentibus lacerarent. Cum autem dominus unum ex eis occideret, alter incredibili afficiebatur laetitia, videns inimico suo iamiam esse moriendum. Paucis autem post diebus, cum ipse quoque ad necem traheretur, sese afflictabat, dicens, "Heu me infelicem, cur inimici mei caede laetatus sum, quem tam cito eram eodem exitu secuturus?"

336. Porcus ab Ovibus Criminatus

Porcus, criminatus ab ovibus, quod domino, a quo tanta pascebatur diligentia, nullam referret gratiam, cum ipsae lac, lanam, agnosque illi praeberent, "Mortuus," inquit, "referam; non ab re me nutrit."

337. Porcus et Equus

Porcus, conspiciens equum bellatorem qui cataphractus ad pugnam prodibat, "Stulte," inquit, "quo properas? In pugna enim fortasse morieris." Cui equus, "At tibi inter lutum sordesque impinguato, quamvis nihil dignum

laude gesseris, cultellus adimet vitam; mortem vero meam comitabitur gloria.”

338. Porcus et Mulus

Mulus, macer et onustus sarcina nimium gravi, tarde ambulabat et suam vicem dolebat, crebro gemens. Porcus, quem obesitas nimia sua pariter impediebat, sic consolandi gratia hunc allocutus est, “Age vero, frater, hos gemitus inanes comprime; quisque aequo animo fata sua sequi debet. Omnes sciunt te gerendis oneribus natum; tuam fortunam disce pati. An putas me esse levius onustum quam te? Adverte quantum pinguitudinis geram. Meum illud onus est, quo totus quidem premor eo usque ut vix mihi liceat ingredi. Et nihilominus vita nostra peragitur satis iucunde, nec curis edacibus ullisve gemitibus corrumpitur.” Mulus, porci orationem respuens, “Sortem,” ait, “utrinque disparem esse non vides? Essem beatus, si sarcina carerem, at tu miser eris, cum onus amittes tuum.”

339. Porcus Pinguis et Vulpes

Pinguis et opimus assiduo pastu et diligente sagina porcus, interrogatus a vulpe unde nam ipsi tanta corporis moles et ille copiosus adeps contigisset, respondit curam hoc efficere domini, a quo omnia praeberentur abunde et etiam ingererentur. Vulpes non potuit se continere quin fatuam et insulsam bestiam redargueret atque porcum abducit intra villam ante quam forte convenerat iubetque sursum aspicere. Hoc ille vix potuit, cum difficulter cervicem reflecteret. Sed, sublatis oculis, succidiam videt, laridum, pernas, farta. Tum vulpes “Haec,” inquit, “omnia suilla sunt, et ad tales fructus tendit cultura tua.”

340. Verres et Lupus

Verres parvus morabatur inter gregem porcorum. Inflatus superbia, vertebat se in gyro cum strepitu et grunnitu. Cumque nullus paveret, iratus ait, “Quid mihi hic prodest

stare!” Venit inter gregem agnorum, stansque in medio, in gyro se vertebat cum strepitu et grunnitu. Tunc agniculi, timore perterriti, fugerunt omnes. Ac verres dixit, “Hic decet me stare.” Die quadam, lupus venit ad agniculos. Illi, videntes eum a longe, fugerunt omnes. Verres autem non est dignatus fugere, et lupus, capiens eum, portabat in silvam. Casu dum iret, devenit inter gregem porcorum. At verres, cognoscens eos, exclamavit voce magna. Porci, agnoscentes eum, insurrexerunt unanimiter in lupum et fratrem suum eruerunt. Tunc verres, plenus verecundia dixit, “In adversis et prosperis, semper cum tuis te tenere debes.”

341. Sus et Asinus Morbum Simulans

Asinus vidit quod porco dabatur panis et nihil laborabat. Cogitavit ergo asinus, “Porcus iste bene se habet, et nihil laborat; ego tota die laboro et parum comedo; fingam me infirmum.” Fecit sic. Stimulavit eum dominus eius; surgere noluit, sed ingemuit. Ait dominus uxori suae, “Asinus noster infirmatur.” Dixit domina, “Demus ei panem et portemus ei aquam.” Fecerunt sic. Asinus parum comedit in principio, postea satis, et impinguatus est. Et cogitavit asinus, “Quando porcus fuit impinguatus, fecit dominus venire carnificem cum cultello.” Asinus exterritus est, timens ne ipsum interficerent cum impinguatus esset; “Certe malo laborare et vitam pristinam ducere quam sic interfici.” Exivit stabulum et saltavit ante dominum suum. Quod videns, dominus restituit eum pristino officio et bona morte mortuus est.

342. Sus per Venerem Iurans et Canis

Sus et canis se mutuis conviciis insectabantur. Ac sus quidem per Venerem iurabat suis se dentibus canem dilaceraturam. Ad haec canis ironice dixit, “Bene per Venerem nobis iuras; significas enim te ab illa vehementer amari, quae lege vetavit ne suum ingredi templum auderet, qui impuras tuas carnes degustasset.” Cui sus “Ita,” respondit, “suum erga me amorem Dea

magis declarat, dum, qui me necat aut quovis modo laedit, omnino aversatur. Tu vero, et viva et mortua, male semper oles."

343. Sus et Canis, Contendentes

Sus et canis de pariendi facilitate contendebant. Porro cum canis se citius animalibus omnibus filios suos in lucem edere affirmaret, sus, ad eam conversa, "Heus tu," inquit, "dum haec dicis, memento te eos caecos parere."

> *Fabula declarat non ex celeritate sed ex perfectione de rebus esse iudicandum.*

344. Sus et Canis Venaticus

Sus irridebat canem odorisequum, qui domino murmure et cauda adularetur, a quo ad artem aucupatoriam multis verberibus auriumque vellicationibus fuerat instructus. Cui canis "Nescis, inquit, "insane, quae ex verberibus illis sim consecutus? Per ea enim suavissimis perdicum coturnicumque carnibus vescor."

345. Canis Parturiens Domicilium Quaerens

Canis gravida, cum partus instare tempus sentiret, impetravit ab altera cane sibi ut paulisper, dum onere catulorum liberaretur, concederet tuguriolo suo. Postea, cum catuli iam valentes facti essent, repetebat habitationem illa suam, quod eius usu satis longo tempore se caruisse diceret; et nisi bona gratia suum obtineret, omnia esse experturam se aiebat, ut recuperaret domicilium suum. Cui haec "Quid minare," inquit, "quin potius hinc nos eiicis? Ut potiatur tuguriolo, qui viribus praestiterit."

346. Canis et Domicilium Eius

Hieme contractus et implicitis membris cubans, canis, quo minus frigori expositum esset corpus, spatium illud ad domum faciendam in qua viveret designavit. Postea,

in aestate membra expandens et corpus extendens, animadvertit notatum spatium non magis convenire neque se capere posse, itaque nec necesse nec facile sibi esse tantas aedes extruere.

347. Canes in Culina

Tempore hiemali, dum canes tres in culina ad focum cubant, en, quartus supervenit. Qui, cum nullum locum videret sibi idoneum relictum, excogitavit hanc viam obtinendi id quod volebat: repente foras se proripit et latratibus quam maximis potest viciniam omnem commovet. Quibus excitati canes qui ad focum cubabant statim allatrantes exeunt. At hic simul, furtim regressus in culinam, locum quem sibi arbitratur commodissimum occupat.

348. Canis et Umbra

Canis quidam, tranans fluvium, vorabunda fauce vehebat carnem, splendente sole, et (ut plerumque fit) umbra carnis lucebat in aquis. Quam avide captans, quod in rictu oris erat perdiderat. Quo infortunio perculsus, huc illuc vagos circumtulit ocellos et, tandem animum recipiens, sic elatravit, “Miserae deerat cupiditati modus! Satis superque esset, ni desipuissem. Iam tota spes et res in fundo perierunt.”

349. Canes et Corium

Corium depressum in flumine viderunt canes. Quod, ut extrahere celeriter possent, aquam coeperunt lambere. Sic rupti, perierunt priusquam quod petierant contingere valuissent.

350. Canes Duo et Os

Canes duo, Nero et Phylax, una invenerant eximium os. Uterque totum os postulat; rixa exardescit; postremo amici pugnam committunt. Fluebat solum sanguine. Tandem Phylax Neronem fugavit, exsultansque, ad locum

ubi praedam reliquerant rediit. At aberat os. Canis prudentior id abstulerat, dum illi pugnabant.

351. Canis Aquam Timens

Canis quidam, quoties pluebat, domo egredi non audebat. Interrogatus ab alio cane cur hoc faceret, “Quoniam,” inquit, “ferventi aqua excoctus sum.”

> *Fabula indicat gravia mala expertis laevissima quaeque timeri esse.*

352. Canis Villaticus

Canes complures urbani quendam villaticum praecipiti insequebantur cursu, quamdiu ille fugit nec repugnare ausus est. At ubi, ad insequentes conversus, subsistit et dentes ipse quoque ostendere coepit, omnes pariter substiterunt nec aliquis urbanorum illi appropinquare audebat. Tunc imperator exercitus, qui ibi forte aderat, ad suos conversus milites, “Commilitones,” inquit, “hoc spectaculum nos admonet ne fugiamus, cum praesentiora fugientibus quam repugnantibus videamus imminere pericula.”

353. Canis Venaticus et Molossi

Ceperat venaticus canis leporem. Eum, quamvis esuriens, gloriose iactans verbis celeritatem suam, detulit domum ad molossos, custodes gregis et aedium; illi enimvero leporem eripuere ostentatori et inter se discerpsere.

354. Canis et Asinus, Iter Facientes

Canis molossus, non modo ad lupos sed etiam ad ursos expugnandos validus, cum asino, qui saccum panibus plenum ferebat, longum iter fuerat ingressus. Inter eundum autem oborta fame, asinus, pratum offendens, large ventrem herbis implevit. Canis autem asinum rogabat ut aliquantulum panis sibi daret ne periret inedia. At ille non solum panem non dabat, sed canem, irridens,

illi ut secum herbas pasceret consulebat. Interim lupum advenientem asinus conspicatus, canem rogabat ut sibi esset auxilio. Cui canis “Tu mihi,” inquit, “consuluisti ut adversus famem herbas pascerem; ego quoque tibi consulo ut te adversus lupum ferratis calcibus tuearis.” Haec cum dixisset, abiens, ingratum comitem deseruit.

Fabula indicat qui indigentibus expetita non praestat auxilia, ab aliis quoque necessitatis tempore solere destitui.

355. Canis et Asinus, Epistolam Legentes

Asinus et canis idem iter faciebant et, cum forte obsignatam epistolam humi iacentem invenissent, asinus eam colligit, signum demit, explicat, et cani ita, ut intellegere posset, legere incipit. Sermo de pascuis in ea forte fiebat, nempe de faeno, de hordeo, et palea. Stomachabatur itaque canis et aegre ferebat, asino haec legente. Quapropter ei dixit, “Amice suavissime, paulisper progredere, ut sciam, an aliquid etiam de carnibus et ossibus hac in epistola scriptum sit.” Tunc asinus, tota perlecta, cum nihil de iis quae canis quaerebat invenisset, “Abiice protinus,” canis ait, “adulterina enim, amice, haec epistola omnino est.”

356. Canis et Asinus, Socii

Canis molossus, cognoscens se lupo, cum quo magnas exercebat inimicitias, imparem, statuit aliquem sibi socium adsciscere, ut mutuo auxilio lupum superaret. Videns autem asinum lupo vocaliorem, maiorem clitellisque velut thorace armatum, magnasque pilas podice cum magno tonitru emittentem, ratus est eum strenuum esse bellatorem. Quare, contracta societate, lupum ad pugnam provocavit. Sed ubi ad primum lupi conspectum asinum fugientem vidit, nilque aliud quam inconditos clamores et magnos ventris crepitus edentem, ipse quoque fugiens, socium in ipsa pugna deseruit, pabulum lupo vulturibusque futurum.

Fabula indicat stultos esse, qui hominum virtutem ex verborum ampullositate et corporis proceritate diiudicant.

357. Canis in Praesepi et Bos

In praesepi faeni pleno decumbebat canis. Venit bos ut comedat faenum, cum canis, confestim sese erigens, tota voce elatravit. Cui bos, "Dii te, cum ista tua invidia, perdant," inquit, "nec enim faeno ipse vesceris, nec me vesci sines."

358. Canis et Vultur

Canis et vultur humana effodiebant ossa. Canis thesaurum invenit et violavit Manes; iniecta est illi divitiarum cupiditas, per quas sacrilegii lueret poenas. Aurum dum custodit, oblitus ciborum copiam, fame est consumptus. Cui adstans vultur ait, "O canis, merito luis, quia concupisti regales opes, trivio conceptus et in stercoribus educatus. Quid tibi profuit has invenire divitias?"

359. Canis et Taurus

Canis cum tauro pugnam inire parabat et "Facile vincam," dixit, "namque dentibus longe melior sum." Sed ille, capite prono irruens, hunc necopinantem cornibus fodit.

Fabella vetat te cum ullo hoste congredi,
nisi ante noris qua minus, qua plus valet.

360. Canes et Leonis Pellis

Pellem leonis repererant canes eamque lacerabant dentibus. Quos videns vulpes, sic eos allocuta esse fertur, "Leo iste, si adhuc in vivis esset, experiremini ungues eius fortiores vestris dentibus."

361. Canis Venaticus et Vulpes

Canis venaticus leonem casu oblatum insequebatur. Cum vero, conversus, ille rugiisset, expavescens canis retro fugit. Quem ubi vulpes conspexit, “O improbum caput,” ait, “tune leonem insecutus es, cuius ne rugitum quidem ferre sustinuisti?”

362. Canis Dormiens et Lupus

Canis ante stabulum quoddam dormiebat. Quem cum lupus conspexisset, haud mora eum voraturus accurrit. Canis autem ne ab eo mactaretur obsecrabat, aiens, “Nunc quidem, here mi, ne me comedas, quaeso; sum enim macer, exilis, atque mendicus. Quin potius paulisper exspecta, mei enim domini sunt nuptias facturi. Proinde si nunc me dimiseris, postquam largius pastus ero, pinguior quoque fiam, melioremque cibum parabo tibi.” His ille verbis inductus, canem reliquit. Nonnullis autem transactis diebus, lupus reversus cum canem perquireret, eum supra domum dormientem invenit. Stans itaque inferius ipsum vocabat ac pacta conventa commemorabat. Ei vero canis respondens, “O lupe,” ait, “si me posthac ante stabulum dormientem adspexeris, ne nuptias amplius exspectes.”

363. Canes et Imperator Eorum

Canibus quondam simultates cum lupis intercesserunt. Electus autem fuit canis Achaeus qui caninae genti imperitaret. Atque ille, pugnae sciens, cunctabatur, tricabatur. Ceteri autem minis increpabant ni castris tandem progrederetur. “Sedendo bellum quapropter prorogem, audite,” inquit, “quidque praecaveam. Oportet vero semper praemeditari. Hostium gens cunctorum quos video una est. E nostris vero hi ex Creta, ex Molossis illi, sunt et Acarnanes hice, alii Dolopes, alii Cyprum iactant suam vel Thraciam, alii adsunt aliunde. Quid edisseram verbosius? Et color nobis non est unus perinde atque istis. Nostrum nigri sunt quidam, quidam cineracei, nonnulli rufi ac pectus bicolores, candidi alii. Quo possim

igitur modo ad bella ducere non concordes," inquit, "adversus hostes quibus sunt inter se cuncta communia?"

364. Canes et Lupi Concolores

Cum animadverterent lupi se non virtute canum sed multitudine superari, hoc iniisse consilium perhibentur. Mittunt ad canes qui quaererent ab iis quorum color non dissimilis luporum esset cur non potius secum coniungerentur, quibus natura ipsos conciliasset, id quod coloris indicaret similitudo; quique illis dicerent, si luporum auxilio adversus alios canes discrepantes colore uti vellent, postea sublatis illis et ipsos solos rerum potituros et in perpetua amicitia luporum futuros esse. Cum res stultis canibus probata et alii canes circumventi atque iugulati fuissent, tum, sine negotio et periculo, istos, etiam concolores sibi, interfecerunt lupi.

365. Canes et Catulus Lupi

Opilio, reperiens catulum lupi, domum tulit eumque inter canes, ovium custodes, aluit. Qui, ubi adolevit, oves occidebat, canesque, ut una secum comederent, edocebat. Quod opilio animadvertens, lupum quidem occidit; canes tamen, ut ab ovium caede temperarent, non poterat prohibere. Tunc pastor secum, "Merito plector, ut qui lupum canibus immiscui, qui eos oves occidere docuit."

366. Canis, Lupus, et Pastor

Intus septa quidam vesperi congregans oves, fulvum una lupum erat inclusurus. Quo conspecto, canis pastori "Quomodo festinas," dixit, "oves servare, qui istum ad nos intromittis?"

367. Canis et Paterfamilias Indignatus

Paterfamilias, oblitus haram in qua gallinae pernoctabant claudere, cum mane surrexisset, reperit omnes a vulpe occisas et ablatas esse. Indignatus igitur in canem, tamquam malum rerum suarum custodem, multis illum

afficiebat plagis. Cui ille “Si tu,” inquit, “cui gallinae ova et pullos pariebant, in occludendo ostio negligens fuisti, quid mirum si ego alto sopore oppressus, vulpem venientem non sensi, qui nulla ex illis emolumenta percipiebam?”

368. Canis et Dominus Morans

Iter qui meditabatur, aliquis adstanti caniculae “Quid hias?” dixit; “cuncta tibi fac parata sint. Mecum etenim venies.” Quae, caudam levans, “Cuncta,” inquit, “mea mihi sunt parata. Tu vero moraris.”

369. Canis Lutulentus et Herus

Canis, tempore hiberno domum revertens et madidus et lutulentus, gaudii impotens ut dominum videt, gestitque prosilitque atque renuentem amplectitur pedibus sordidis. Is igitur, graviter obiurgans, ait, “Inepte! Fuge, fuge cum istis blanditiis tuis indoctis; forsan putas te urbanum esse, at mihi bestia inficeta videris!”

Fabula scripta est amicis imprudentibus,
quorum officia saepe nocent, nedum iuvent.

370. Canis et Ovis Conquerens

Quo tempore animalia et pecudes sermone utebantur, aiunt ovem dixisse hero suo, “Per mihi mirum videtur nihil nobis a te praeberi cogique e terra nos victum quaerere, de quibus tamen tu et lanam capis et caseos et agnos. At canibus, unde nihil horum tibi redit, impertis panem quo ipse vesceris.” Tum canem, qui hoc audisset, ferunt sic locutum, “Merito hercle meo fit, nam ego is sum qui vos ipsas etiam custodio atque servo, ne vel hominum furto vel luporum raptu pereatis. Quod si ego vestram custodiam negligerem, iam ne ad pabula quidem exire auderetis prae formidine interitus.” Atque ita etiam oves ipsas facile passas fuisse accepimus, ut se canes potiores et maiore in honore haberentur.

371. Canis Oves Occidens

Pastor quidam cani oves suas dederat custodiendas, optimis illum pascens cibis. At ille saepe aliquam ovem occidebat. Quod cum pastor animadvertisset, canem capiens, eum volebat occidere. Cui canis “Quid me,” inquit, “perdere cupis? Sum unus ex domesticis tuis; interfice potius lupum, qui continue tuo insidiatur ovili.” “Immo,” inquit pastor, “te quam lupum morte dignum magis puto. Ille enim palam se meum hostem profitetur; tu vero sub amicitiae specie quotidie meum imminuis gregem.”

372. Canis Homicida et Dominus Eius

Vir quidam dives, venandi studio mirifice deditus, complures canes alebat, quorum unus filium domini morsu interfecit. Dominus, ira percitus, non solum homicidam, verum etiam omnes alios iussit occidi. Tunc ait unus ex eis, “Unus peccavit, et cuncti plectimur.”

373. Canis Custos et Domini Filius

Erat cuidam perquam fidelis canis. Hic quodam tempore solus relictus apud parvulum filium illius, iacentem adhuc in cunis, videt serpentem ad puerum interimendum arrepere. Ille igitur in serpentem, qui iam ad cunas pervenisset, irruit et eum non sine difficultate interimit. Itaque inter luctandum evertuntur cunae, et supra serpentem reclinantur. Reversus autem paterfamilias, cernensque cunas eversas et cruentum os canis, quod suspicaretur ab hoc puerum interfectum esse, neque prioris fidelitatis recordatus, neque spatio capto ad rem cognoscendam, ense arrepto canem occidit. Postea tollit cunas, et puero vivo reperto et serpente conscisso, quid factum esset intellegit et suum erga canem perpetratum scelus deplorat.

> *Fabula docet nihil esse in ira et perturbatione animi inconsiderate committendum, ne festinationem nostram sempiternus dolor sequatur.*

374. Canis Fugitivus et Herus

Canis, qui fugitivus ex domo herili migraverat, ab hero suo postmodum inventus et interrogatus cur se, herum benignum, linqueret, “Te quidem fateor,” dixit, “mihi liberalem semper et mitissimum dominum fuisse. At omnis tua familia interim huc denique me impulit, miserum, verberibus perpetuis male caesum, ut hoc infortunium defugerem, quod non intuleris tu, at quod te oportuit prohibere.”

> *Qui vetare potest ne mala inferantur, et non vetat,*
> *idem facit ac si ipse inferret.*

375. Canis Herum Fugiens

Canem quidam habens, quo magis ab illo diligeretur, semper suis pascebat manibus ligatumque solvebat. Ligari autem et verberari iubebat a servo ut beneficia a se, maleficia autem a servo, in illum viderentur esse collata. Aegre autem ferens canis se assidue ligari verberarique aufugit et, cum increparetur a domino ut ingratus et tantorum beneficiorum immemor, qui se fugisset a quo semper dilectus pastusque fuisset, ligatus autem verberatusque numquam, respondit, “Quod servus tuo iussu facit, a te factum puto.”

376. Canis, Herus, et Cibus

Canis acer, fidelis, et strenuus domum herilem bene ab omni fure tutam praestabat. Quapropter herus ipsi maximas laudes ultro tribuebat et palpationes et blanditias saepius affatim impertiebat occurrenti, at cibos dabat manu parcissima. Ergo custos miser clamitat et hero obiicit se non ali blanditiis, neque corpus macrum recreari laudibus; se his carere posse, solidius modo aliquid tribueret quo famem repelleret; nil se obstiturum quin cetera omitteret. At ille, iocans, questus iustos elusit, famelico blandiens multo magis quam prius; benevolentiam inanem effudit, sed victum dedit nihilo liberalius.

O dives, pauperi largire quibus indiget! Benignus non es, si das quae hunc nihil iuvant.

377. Canis Vetulus et Magister

Canis venaticus, qui quondam velocitate ceteris praecelluit et magno erat olim usui et emolumento hero, iam longaevus et imbellis, fortuito cervum persequebatur et apprehensum, dentibus privatus, mox demisit. Quem iratus herus verbis et verberibus increpabat. Cui canis, “O dure et severe mihi magister, qui multifaria mea merita tam male pensitaveris!”

378. Canis Villicus et Herus Ingratus

Villicus canem habebat vetulum et minus idoneum factum gregi custodiendo vel domui a furibus nocturnis tuendae. Herus ingratus hunc, senio gravem et tardum, cuius operam diu utilem sibi fuisse meminit, sustinet morti devovere. Ergo apprehendit, nec reluctantem; pedes simul in fasciculum coactos connectit et denique lapidem magnum collo subigat. Sic exornatum protrahit, sub proximae paludis undam detrusurus. At canis senex, “Nam quid facinoris feci,” dixit, “ego miser, ut tam acerbe tamque inhumane agas, here, et meam servitutem tam longam sic remuneres?” Herus vim veritatis sentit; hanc opprimit et calumniam comparat fraudulentam. “Tene ultra vivere patiar,” inquit, “quem rabies occulta tenet?” Moxque demersum necat.

Qui aliquem invisum sibi perdere statuit,
si ratio nulla iusta sit, falsam invenit.

379. Canes et Agricola Penuria Laborans

Agricola, cum in ruri hiemasset multos dies, coepit tandem penuria laborare rerum necessariarum; oves interfecit, deinde et capellas, postremo quoque mactat boves, ut habeat quo sustentet corpusculum pene exhaustum inedia. Canes, id videntes, constituunt salutem quaerere fuga; etenim sese diutius non

victuros, quando herus non pepercit bobus quidem, quorum opera utebatur in opere rustico faciendo.

380. Canis, Bos, Equus, et Homo

Equus, bos et canis, frigore pressi, in hominis cuiusdam aedes convenere, qui, eos excipiens, accenso foco fovit ac deinde equo hordeum, bovi paleas obtulit; cani vero ex iis quae in mensa aderant dedit. Quam ob hospitalitatem ipsi gratias reddidere, singuli vitae suae tempus partiti eique gratificati. Equus itaque primos annos largitus est; ideo praecipiti mente et superba unusquisque hominum prima aetate est. Medios vero post hunc annos taurus dedit; ideo tunc laboriosus et sedulus est quisque studetque divitias cumulare. Ultimos tandem annos canis praebuit, et propterea senex quilibet morosus est, sibi victum dantem tantummodo amat, blanditur, assentiturque, non dantibus vero allatrat et insultat.

381. Canis ad Convivium Invitatus

Vir quidam cum cenam opiparam ad familiarissimum sibi amicum excipiendum appararet, eius quoque canis canem alium invitavit, “Amice,” dicens, “huc hodie mecum epulatum veni.” Ille itaque introgressus, laetus constitit magnumque convivium cernens, “Papae,” intra se aiebat, “quanta laetitia nunc perfruor. Nutriar ergo et ita ad satietatem cenabo ut omnino crastina die esurire non possim.” Dum haec secum tacitus canis volvebat caudamque agitabat, intentos gerens oculos in amicum, haud mora coquus, ubi ipsum caudam huc illuc circumagentem adspexit, pedibus arreptum extra fenestras deiecit. Canis itaque lapsus, magno cum clamore discessit. Occurrentibus proinde ceteris canibus atque rogantibus, “Ut te cena iuvit, amice?” subridens ille respondit, “Mehercle, ita mero me obrui, ut satietate iam ebrius ne viam quidem viderim qua sum egressus.”

382. Canis et Faber

Fabrorum aerariorum in domo degebat canis, iisque laborantibus, dulci indulgebat somno. Qui simulatque accumbentes ceperunt cibum, canis, repente expergefactus, blanditus est dominis. Tum illi interrogarunt eum, “Qui fit, strepitu malleorum gravissimorum ut numquam exciteris, dentium vero lenissimo crepitu statim expergiscaris?”

> *Ita quoque homines, quae sibi utilia fore censent, patulis arripiunt auribus; quae vero eis displicent, negligenter et lente audiunt.*

383. Canes Duo, Venaticus et Domesticus

Habens quidam duos canes, alterum venari, alterum domum custodire docuit. Ceterum si quando venaticus aliquid caperet, domesticus quoque eiusdem praedae particeps erat. Quod cum ille aegre ferret eique exprobraret quod, se quotidie laborante, ille iners suis laboribus frueretur, “Non ego sum,” domesticus inquit, “sed herus noster culpandus, qui non me laborare, sed alieno sudore parta comedere docuit.”

384. Canis et Sciurus

Sciurum e nemore patrio raptum coquus alebat. Ille, textili cavea inclusus, vivido corpore et agili leves celeresque motus dabat, suamque rotam pensilem movens, modo in partem posticam, modo in anticam, et usque et usque ludo inani longum sui carceris taedium fallere studebat. Canis interea ad tepentes foci reliquias in angulo iacebat, quietus. Sciurus hunc ita increpat, “Non te pudet dies solidos corrumpere pigritia tam veternosa? Ad me verumtamen respice aliquando, si sapis, et ex hoc meo more vivendi laborioso virus pigrum excutere disce.” Canis respondet, “Cur non quiescam, cum datur licentia? Exspecta vero; cena herilis mox assanda erit. Tunc meam quoque rotam versatilem permovebo et labor meus proderit; tuus quidem est perpetuus, ast inutilis.”

385. Canis et Fur

Nocturnus fur, cum panem misisset cani, canis ait, "Linguam meam vis praecludere, pro re domini mei ne latrem. Quaeris ut facias per meam culpam lucrum."

> *Repentina liberalitas stultis grata esse videtur, peritis irrita.*

386. Canis et Homo Admorsus

Quidam a cane morsus, quaerens qui vulnus curare posset circumibat. Cum id quidam casu obvius audisset, "Heus tu," inquit, "si sanus vis fieri, panem sumito, cum eoque vulneris sanguine deterso, cani qui te momordit edendum praebe." Tum ille, subridens, "At si istud fecero," inquit, "nullum erit effugium quin me omnes canes urbis discerpant."

387. Canis Mordax

Cani, saepius homines mordenti, illigavit dominus nolam, scilicet ut sibi quisque caveret. Canis, ratus virtuti suae tributum hoc decus esse, populares omnes despicit. Accedit tandem ad hunc canem aliquis, iam aetate et auctoritate gravis, monens eum ne erret. "Nam ista nola," inquit, "data est tibi in dedecus, non in decus."

388. Feles, Mus, et Caseus

Vir quidam magnum ac pulcherrimum in capsa caseum habebat, quem musculus edebat. Ex consilio ergo amici, felem illuc clausit quae, occiso mure, totum caseum comedit.

> *Fabula indicat eos non adhibendos custodes, qui non minus quam hostes nobis nocere possunt.*

389. Feles Senior et Mus Parvulus

Mus quidam adulescens imperitusque felem iam seniorem flectere conabatur, clementiam tali ratione petendo, "Patere," inquit, "me vivere. Tantulus tamque

parcus, num huic familiae nocere potuerim? Domino vel uxori eius num credis famem me umquam adferre posse? Uno frumenti grano vivere, una nuce pinguis fieri soleo. Nunc sane macer sum. Quod si paulisper exspectaveris, catulis tuis hoc prandium servabis." Muri capto sic loquenti ita respondit feles; "Erras," inquit; "mecumne tales habentur sermones? Surdis melius persuadeas. Felem et hac quidem aetate veniam dare! Istud accidit numquam. Proinde ad inferos descende! Meis cibi satis superque erit."

Haec fabula docet et iuvenes omnia credere se exorare posse, et haud misericordes esse senes.

390. Catus Monachus

In quodam refectorio fuit quidam murilegus, qui omnes mures, excepto uno magno ratto, cepit et interfecit. Cogitavit catus qualiter murem illum magnum deciperet et devoraret. Tandem fecit sibi radi coronam; induit cucullam et fecit se monachum; inter alios monachos sedit et comedit. Videns hoc, rattus gavisus est, credens quod nollet ei nocere. Saltavit igitur rattus huc et illuc, et catus, dissimulans, oculos suos a vanitate avertit. Tandem secure rattus appropinquavit ad catum. Catus vero cum unguibus viriliter rattum cepit et firmiter tenuit. Dixit rattus, "Quare talem crudelitatem facis? Quare me non dimittis? Nonne monachus factus es?" Dixit catus, "Numquam ita bene praedicabis quod te dimittam, frater. Quando volo, sum monachus; quando volo, sum canonicus." Et devoravit rattum.

391. Feles Iudex

Cuniculi cavum invaserat aliquando mustela, namque subdola est. Absente domino, omnia fuere pervia. Postquam cuniculus morsu carpsisset gramina, circumquaque exsultim ludens, imas sedes repetiit. Tum forte fenestrae mustela rostrum inseruit. "Heus scelesta," inquit infelix ille, "actutum abeas!" "Parcamus conviciis," inquit ea; "arbitrum deligamus felem." Feles erat ille pio

fervore inter heremitas clarus; feles mitis, et benignitatem summam prae se ferens; feles modesto vultu, purisque moribus, villosis ornatus infulis, pinguis et obesus, arbiter peritus ethicorum. Hoc iudice a cuniculo accepto, partes adeunt felem villis insignem. “Accedite, filii,” inquit, “accedite huc; obsurduerunt aures, senectutis iniuria.” Tum uterque incautius accessit. Simul atque litigantes proxime positos sensit, utroque pede diris unguibus irruit. Sic discerptis partibus, lis composita est.

392. Feles, Vulpes, et Lupus

Feles et vulpes una confabulantes viam carpebant. De vita, de moribus multa differebant; quid pium, quid impium; quid turpe, quid honestum foret, subtilius Socrate ipso disputabant. Lupum interim videre, cum bidentem miseram discerperet ederetque. Hic vulpes prior exclamat, “O scelus atrox!” et feles, “O raptorem hunc nefarium!” Dum his et aliis huiusmodi sententiis invicem philosophantur, villae propinquant. Forte in agrum proximum gallina cum tenello pullorum grege egressa fuerat. Vulpes, ubi hanc adspicit, philosophiam omnem prorsus obliviscitur et, furtim progressa, matrem insciam occupat. Quod facinus feles avida nihilo segnius imitata, pullum de grege electum rapit. Ambaeque secedentes in locum commodum, famem, quam philosophando accenderant, explent.

Multi scelestos exsecrantur qui, simul occasio data est, quodlibet scelus faciunt.

393. Feles et Passeres Duo

Passerculus tener cum fele vivebat. A teneris ambo consortes conclave commune colebant; cista caveae proxima fuit. Volucris rixosa felem saepe lacessebat; haec rostro pugnat, at ille pede ludit. Feles placidus prudensque procacis alitis ioca excusat liberiora. Numquam lusus suos in proelia vera vertebant. At passer domus vicinae utrumque visit; socius fit felis cauti passerisque protervae. Tandem lis inter aves

nascitur. Feles rem non conspexit pectore sedato; "Iste," ait, "ignotus qui saevus nostrum amicum laedit, scilicet putat nos stolidos esse. Passer noster a passere externo comedetur? Dispeream potius, dispereantque mei." Confestim armis nativis instructus emicat, et infrendens advenam vorat fauce vindice. Pransus exclamat, "Nae, passer dulcior esca est!" quod secum reputet, cenat et indigenam.

394. Catus et Gallus

Catus, cum gallum cepisset, criminare coepit quod esset animal turbulentum, qui noctu clamitando non permitteret homines quiescere. Gallus se excusabat quod id ageret ad eorum voluptatem, cum ad opera facienda illos excitaret. Rursum catus ait, "Impius es, qui nec a matre nec a sororibus te abstineas, sed per incontinentiam illis te commisceas." Gallus se defendebat dixitque quod, ex huiusmodi coitu, gallinae pariunt ova. Tunc inquit catus, "Quamvis excusationibus abundes, ego tamen te missum facere non intendo."

395. Feles et Gallinae

Feles, cum audisset gallinario quodam in stabulo gallinas aegrotare, se medicum fingens, propriisque artis medicae instrumentis arreptis, ad eas confestim accessit et, ante stabulum adstans, quomodo se haberent interrogavit. Illae respondentes, "Optime quidem," dixerunt, "si tu tamen hinc procul secesseris."

396. Feles, Aquila, et Sus

Aquila in summa quercu nidum fecerat; feles in media arbore catulos occultaverat; ad imam sus fetum suum posuerat. Horum concordiam feles fraude sic evertit. Scandit ad nidum volucris aitque, "Pernicies mihi et tibi paratur; scelestus enim ille aper, quem vides quotidie solum fodientem, quercum vult evertere ut progeniem nostram in campo opprimat." Deinde suis cubile adiit et

“Magno,” inquit, “in periculo sunt nati tui; aquila enim porcellos rapere vult.” Inde se in caverna sua condidit et noctu egressa est, sibi et catulis suis escam quaesitura. Aquila, perniciem metuens, in ramis arboris insidebat. Aper, metu aquilae, porcellos linquere nolebat. Quid opus est verbis? Ambae, inedia necatae, dapem feli catulisque eius praebuere.

397. Feles et Venus

Feles quaedam delicium erat formosi cuiusdam adolescentis, Veneremque oravit ut in feminam mutaret. Dea, miserta cupiditatis adolescentuli, convertit felem in puellam. Quam, cum longe speciosa esset, amator domum abduxit. Venus, experiri cupiens si, mutata facie, mutasset et mores, in medium constituit murem. Quem cum illa aspexit, oblita formae, murem ut caperet persecuta est. Qua super re indignata, Venus denuo eam in priorem felis formam mutavit.

> *Fabula innuit quod homo nequam, licet personam mutet, mores tamen retinet eosdem.*

398. Murilegus Candelam Portans

Quoniam operarii per totam septimanam in officio sunt ligati, in diebus festis per luxuriam et ebrietatm et alia vitia resolvuntur. Tales similes sunt murilego qui didicit candelam accensam portare. Sed, cum videt murem, lumen relinquit et murem sequitur.

399. Vespertilio Perfidus

Bellum gerebant volucres cum quadrupedibus, et fortuna belli erat diu anceps, modo his, modo illis victoriam reportantibus. Vespertilio, qui securitatem fidei anteponebat, ad eas quae superaverant se conferebat; inter aves avem se esse profitebatur, inter quadrupedes murem. Cum pacem fecissent aves et quadrupedes, fraus utrique generi apparuit; damnatus igitur ab utrisque refugit, atque ex eo tempore noctu tantummodo evolabat.

400. Vespertilio et Mustelae Duae

Vespertilio, in terram delapsus, a mustela comprehensus fuit, a qua cum iamiam neci daretur, eam enixe sua pro salute rogabat. Illa vero ipsum dimittere se posse negante, quod natura volucribus omnibus inimica esset, vespertilio non avem, sed murem se esse affirmabat. Quapropter incolumis dimissus fuit. Deinde autem cum iterum cecidisset et ab alia mustela captus esset, tunc etiam ne voraretur orabat. Ea vero muribus omnibus se inimicam esse dicente, tum ille se non murem, sed vespertilionem esse adfirmavit atque liber rursus evasit. Ita contigit ut bis nomen mutando salutem consequeretur.

> *Oportet igitur nos etiam iisdem in rebus non continuo manere illud animo considerantes quod qui ad tempus mutantur, plerumque vel maxima pericula effugiunt.*

401. Vespertilio et Merula

Suspensa ante fenestram in cavea, merula noctu cantabat. Ad quam advolans, vespertilio rogat cur non die potius canat, et noctu acquiescat. “Quia enim,” inquit illa, “interdiu cantitans, prodita et capta fui, itaque nunc, malo edocta, die taceo.” Tum vespertilio “Sed tu enim,” inquit, “sero caves, quam priusquam apprehendereris tacere oportuit.”

402. Vespertilio, Rubus, et Mergus

Vespertilio, rubus et mergus, inita societate, mercaturam facere decreverunt. Vespertilio itaque pecuniam a faeneratoribus mutuo sumptam contulit, itidemque rubus vestes, ac mergus aerea vasa in navi posuere, et statim e portu solvere. Ingens autem tempestas cum subinde orta esset diffractaque nave omnia periissent, vix ipsi in terram incolumes evaserunt. Hinc mergus tempore ab illo iuxta litora semper degit, inspiciens nimirum an mare aes, quod amisit, eiiciat. Sic vespertilio, creditores timens, interdiu non apparet, sed noctu tantum in pabulum exit.

Rubus vero praeterteuntium vestes continuo detinet, ut suas recognoscere possit.

403. Struthiocamelus Perfidus

Struthiocamelus avis in Africa est, paene bestia, bipes quidem illa, sed ungulis similibus cervorum. Eadem alas habet, sed supra terram non elevatur. Quodam igitur tempore, cum bellum gravissimum esset inter volucres et bestias, capta haec a bestiis, ut avis pro hoste habebatur. At illa, pedes ostendens, num avis illis videretur interrogabat. Itaque, deceptis bestiis, tanquam civis, tuta apud illas fuit. Paulo post in proelio capta ab avibus, avem se esse alis et rostro probavit. Ita et his imposuit.

Fabula notat eos qui diversis inserviunt quasi dominis, et tam hos quam illos frustrantur.

404. Struthiocamelus et Alauda

Struthiocamelus, dum plumae nitore candidissimo et vasti corporis mole densa gloriatur, genus alitum ceterarum universum prae se abiectum reputans, in caelum forte suspicit. Alaudam videt, aviculam minutam et ignobili specie praeditam, animosam se tollere volatu ad plagas purioris aetheris sublimes. “Haec mea dignitas,” inquit ille, “quid iuvat, si est pondus quod me retinet solo haerentem?”

405. Struthiocamelus et Gallina

Struthiocamelus alas quidem habet quibus in cursu ad pernicitatem adiuvatur, sed in sublime volando non extollitur. Haec sive bestia seu avis, cum forte in ardua rupe constitisset, incitabat sese ad volatum et imitari volebat reliquas volucres. Cui gallina, quae hoc conantem viderat, “Cave,” inquit, “ne volandi cupiditate etiam ingrediendi facultatem amittas.” Gallina derisa, struthiocamelus deiecit se passis alis de rupe atque ad terram pondere suo afflicta crura fregit.

Fabula docet contra naturam niti oportere neminem.

406. Aquila et Leo, Amici

Advolans leoni, aquila quaedam eum rogabat ut se sociam reciperet. Et aquilae leo “Quid vetat?” ait; “sed pignus dabis prius celeres illas pinnas tuas pactam non esse deserturas fidem. Quomodo enim amicae tibi non domisedae confidam?”

407. Aquila et Testudo

Testudo aquilam magnopere orabat, ut volare sese doceret. “Rem petis,” inquit aquila, “naturae tuae contrariam, nam quomodo poteris volare, cum alas non habeas?” Testudo autem nihilominus aquilam obsecrabat ut se volucrem facere vellet. Itaque eam ungulis arreptam aquila sustulit in sublime ibique demisit, ut per aera ferretur sed, cum in rupes decidisset, comminuta interiit.

408. Aquila et Rattus

Facta fuit contentio inter aquilam et rattum quis eorum clarius videre poterit. Dixit aquila, “Quomodo probare poterimus huius rei veritatem?” Cui rattus, “Si vis, ascendam humeros tuos et me supportabis in altum.” Aquila eum supportavit in tantam altitudinem aeris quod rattus nihil vidit de terra. Tunc ait aquila, “Iam video cadavera ad praedam meam.” Rattus perterritus, quia videre non poterat, ait, “Descende ergo ut praedam accipias.” Descendente aquila, rattus vidit quemdam aucupem sub dumo latentem qui super cadaver retia tendebat. Protinusque ab humeris aquilae a longe saltavit et laqueos evasit. Aquila vero, super cadaver improviso descendens, incidit in laqueos et ab aucupe capta est. Cui rattus, “Heu, proh pudor! Propinquos tibi laqueos non vidisti. Ego autem, videns periculum, evasi providus.”

409. Aquila, Pennis Avulsis

Aquilam olim cum quidam cepisset, ei statim alarum pennas avulsit domique in gallinarum numerum aggregavit. Qua illa calamitate perterrita, magno dolore

premebatur. Deinde vero cum eam quidam alius emisset, ut ei pennae renascerentur continuo curavit. Tunc aquila volans leporem cepit atque ei statim, a quo tale beneficium receperat, dono obtulit. Quod vulpes cum vidisset, “Primo potius,” inquit, “hospitalia haec munera, non isti feras moneo, ne nimirum te iterum capiat, rursusque pennas evellat.”

410. Aquila et Vulpes

Dum vulpis proles foris excurrebant, ab aquila comprehensae, matris fidem implorabant. Accurrit vulpes aquilamque rogat ut captivam prolem dimittat. Aquila, nacta praedam, ad pullos subvolat. Vulpes, correpta face quasi nidum incendio absumptura esset, insequitur. Trepidans aquila, “Parce,” inquit, “mihi parvisque liberis, et tuum quidquid habeo reddidero.”

Per aquilam potentis atque audacis animi homines intellegendi sunt; per vulpem, pauperculi.

411. Aquila et Regulus

De celeritate volandi contendisse ferunt aliquando aquilam et regulum (est autem parvulus ales omnium maxime is qui hoc nomine appellatur). Atque, certamine instituto, clanculum supra dorsum aquilae consedit regulus, et sic deportatus ad praefinitum locum subito inde evolavit, et ita antevertit.

412. Aquila et Mus

Aquila quondam, caecis laqueorum dolis implicita, ubi sensit, simul impetum exerit et quaerit se expedire; unice hoc agit, ira et furore fortis, et nil proficit. Cuius laborem videns, mus misertus est. Abrosis ergo dente crebro vinculis, armigeram Iovis in libertatem vindicat. At libera illa “Mene vitam debere,” dixit, “contemptissimae bestiolae? Proh Iuppiter!” Et liberatorem suum necat.

Summos servasse humilibus piaculum est.

413. Aquila et Agricola

Agricola, venatu aquilam nactus, eius pulchritudinem admiratus, liberam dimisit. Illa vero se beneficii non immemorem ostendit, sed cum eum sub muro iamiam casuro sedentem vidisset, advolans, fascem lignorum quem capite impositum gestabat agricola unguibus arreptum sustulit. Ille excitatus persequitur aquilam, quae statim fascem ex unguibus deiecit. Quem cum ille iterum sibi imposuisset, eo reversus, parietem sub quo antea quiescebat humi lapsum invenit, eamque sibi ab aquila gratiam relatam fuisse est admiratus.

Qui nos beneficiis affecere, omnino remunerandi sunt.

414. Aquila et Sagitta

Sagittarius in aquilam collimabat et, missa sagitta, confixit aquilam. Cumque, conversa ad sagittam, aquila eam quoque pennatam suis videret esse pennis, "Multis," inquit, "suae propriae facultates et res insidias et periculum creant."

415. Aquila, Sol et Bubo

Aquila, habens filiam, quaesivit ab omnibus consilium cui deberet tam nobilis domicella desponsari. Qui omnes concordaverunt quod Soli. Respiciens, aquila vidit bubonem et mittens pro eo dixit, "Hoc consilium mihi dederunt; tamen, quia estis de hominibus meis, volo vestrum audire consilium." Qui ait, "Vos estis avis fortior et nobilior, et magis appropinquatis Soli; aliquando tamen gravat vos, et nos debiliores multo plus. Si filia vestra maritaretur Soli, tot poterunt generari Soles quod nulla avis poterit durare." "Verum," inquit aquila, "est; non fiet ita."

Docet petere consilium apertius, quia aliquando melius invenitur.

416. Aquila et Vultur Senex

Vultur edax, iam senilibus annis fractus, aeger et implumis, clam aquilae pullos rapuit et in eius nido iacuit, ut mater nescia eum pro pullis aleret. Nempe diu latitavit et aquila, crescentes moras mirata, nido suo hunc pellere saepe voluit, sed moras naturae imputat. Forte die quadam, tempestas magna volvit et tonitrus mundum terruit. Ut solis lux rediit, imbribus pulsis, aquila clamavit, pennas madidas excutiens, “Tempestas mihi tam violenta non visa est, licet aetas mea saepe renovata sit.” Vultur ineptus respondit, “Longe maiorem vidi,” et, his dictis, mox trepidus latuit. Aquilam ferunt respondisse, “Cum nemo possit priorem se gignere, potesne prior me esse? Responde, inepte! Cum ipse indicio tuo proditus sis, quid latere quaeris? Exi!” Et nido detractum eum dilaniavit.

417. Accipiter Columbam Insequens

Cum accipiter columbam praecipiti insequeretur volatu, villam quandam ingressus, a rustico captus est, quem blande, ut se dimitteret, obsecrabat, “Non enim te laesi,” dicens. Cui rusticus “Nec haec,” respondit, “te laeserat.”

> *Fabula indicat merito puniri qui innocentes laedere conantur.*

418. Accipiter Cuculum Irridens

Irridebat accipiter cuculum quod, cum sibi nec viribus nec volatu inferior esset, putidos potius terrae vermes consectaretur iisque vesceretur quam sapidis avium carnibus, pusilli dicens animi non leve argumentum. Nihil ad haec tunc cuculus. Non diu post, vidit ipsum, a rustico cuius columbas venabatur captum, aliorum ad terrorem e turri pendere. Cui ille, “Quam satius tibi fuisset, O mi frater, vermes consectari et sobrie vivere quam ex rapto et supplicio mori.”

419. Accipiter et Busardus

Busardus in nido accipitris proiecit unum ovum, et inde creatus est pullus. Alii pulli nobiles fimum fecerunt extra nidum, sed pullus busardi semper maculavit nidum suum. Quod advertens accipiter ait, “Quis est qui nidum maculat?” Tandem dixerunt ei pulli de pullo busardi. Quod attendens accipiter cepit filium busardi et extra nidum proiecit, dicens, “De ovo te eduxi; de natura non potui,” et confractus est totus.

420. Accipiter et Galli Duo

Gallus, dum cum alio gallo saepius intenderet pugnam, requirit accipitrem sibi iudicem. Accipiter vero sperabat ut, dum ambo ad eum venissent, ipsum qui se tum exhiberet devoraret. Cum venissent ante iudicem ut causam exponerent, accipiter ipsum comprehendit, qui eius primo petierat forum. At clamabat, “Non ego sum quem comprehendas, sed ille qui fugam petit.” Cui accipiter dixit, “Non tu credas ex meis unguibus hodie liberari, quia quod tu alio intendere voluisti, aequum est ut ipse sustineas.”

421. Accipiter, Cuculus, et Sturnus

Sturnus, dum in coetu avium et gestit et strepit, cuculum videt huc properantem se inferre. Ratus non cuculum at accipitrem esse, pavore subito commovetur et praedonem ferum penna trepidante fugere parat. Turba procax errorem perspexit atque frustra timentis diligentiam deridet, et ludens circum adsilit et exsibilat. Unde ille pudori tanto corrigendum se dedit, ut etiam contra maximas metus causas paratum pectus obfirmaverit. Quapropter aliquot post dies, accipitrem verum videns, perstitit tamen in loco eodem, intrepidus. At mox unguibus saevi alitis evisceratus, stultitiae poenas dedit.

422. Accipitres et Columbae

Accipitres, invicem inimici, quotidie decertabant; suisque odiis occupati, alias aves minime infestabant. Columbae, eorum vicem dolentes, eos missis legatis composuere. Sed illi, ubi inter se amici effecti sunt, ceteras aves imbecilliores et maxime columbas vexare et occidere non desinebant. Tunc secum columbae, "Quam utilior accipitrum discordia quam concordia nobis erat!"

423. Accipiter, Milvus, et Columbae

Columbae, milvi metu, accipitrem rogaverunt ut eas defenderet. Ille annuit. At in columbare receptus uno die maiorem stragem edidit quam milvus longo tempore potuisset edere.

Fabula docet malorum patrocinium vitandum esse.

424. Milvus, Rex Electus

Pulli celebraverunt capitulum ut eligerent sibi regem. Dixit unus sapientior aliis, "Eligamus columbam, animal simplex, quae nec laniat, nec laedit, nec devorat." Fecerunt sic. Columba simplex inter pullos conversebatur. Dixerunt pulli, "Rex noster nihil valet quoniam non percutit, non laniat." Dixerunt alii, "Deponamus eum. Quem igitur eligemus?" Dixerunt ad invicem, "Eligamus milvum." Factum est ita. Milvus, rex constitutus, uno die cum rostro et unguibus laniavit unum pullum et devoravit, postea alium et tertium, et sic per pravum regem afflictus est populus.

425. Milvus Aegrotans

Aegrotavit aliquando milvus periculose, remedia nil effecerant; accersiti frustra medici monent disponat rebus suis. Is tandem moriturus matrem vocat, rogat, quando in medicis humanis spes nulla salutis esset, eat precatum Deos pro sua valetudine. Respondet illa incunctanter, "Nil tibi, fili, ex illa parte sperandum puta; nec quicquam tuo

nomine, aut causa, Diis supplicandum, quorum sacra et aras tuis toties rapinis violasti."

426. Milvus et Lampetra

Dixit milvo lampetra, "Ubi venis?" "Ultra mare," respondit ille, et lampetra dixit, "Pro qua causa?" Respondit milvus, "Occidi unam columbam pro qua omnes columbae offenduntur et comminantur mihi." "Cum quibus armis et quo instrumento fecisti hanc rem malitiosam?" dixit lampetra. Milvus respondit, "Vide rostrum meum adhuc sanguinolentum." Dixit illa, "Revertere sine mora; melius est quod confundas solam patriam quam totum mundum."

427. Milvus, Perdices, et Sagittarius

Milvus vidit cuneum perdicum per iter quiescentem et, volens eum capere, iecit se super eum toto corpore; quosdam occupavit unguibus, quosdam alis, et, cum omnes occupare niteretur, supervenit sagittarius et, videns milvum sic occupatum, sagittavit eum, et prae sua cupiditate perdidit seipsum et praedam.

Qui totum cupit, totum perdit.

428. Milvus, Accipiter, et Aquila

Milvus cum accipitre apud aquilam de praestantia certabat, dicens ob corporis magnitudinem sese illi praeferendum. Contra, accipiter non staturam, sed vires spectari oportere dicebat. Tunc aquila "Ite," ait, "venatum, et uter vestrum digniorem mihi attulerit praedam, eum praestantiorem iudicabo." Cum autem milvus exiguum murem, accipiter vero columbam apportasset, inquit aquila, "Quanto columba maior est mure, tanto accipitrem milvo praestantiorem esse pronuntio."

429. Milvus et Falco

Falco semel cepit milvum et firmiter cum uno pede tenuit. Et ait falco, “Miser, nonne habes tam grande corpus, caput et rostrum ut ego, pedes et ungues ita fortes? Quare permittis quod ita te teneo et cito interficiam?” Respondit milvus, “Bene scio quod ita sum fortis et membra habeo ita robusta, sed cor mihi deficit.”

430. Milvus et Aquila

Cum aquila tristis sederet in arborem ubi milvus insederat, dixit ad eam milvus, “Cur video faciem tuam tam tristem?” At illa, “Quomodo aegra non ero? Quaero parilem coniugium et reperire non possum.” Cui milvus, “Me accipe, quia sum ut quaeris.” Cui aquila, “Quid ergo venari tu poteris?” Milvus, “Struthionem unguibus meis captum saepius devoravi.” Illa, haec audiens, adquievit et accepit eum in coniugio maritali. Transactoque tempore quod nuptiis fuerat dedicatum, dixit ei aquila, “Vade, et rape nobis praedam.” Et volans in altum exhibuit ei immanissimum soricem, putredine madefactum. Cui aquila, “Haec est promissio tua?” Cui milvus, “Ego ut ad tuum potissimum pervenire possem coniugium, si qua mihi impossibilia voluisses extorquere, nullatenus me tibi impleturum potui denegare.”

431. Corvus Aquilam Imitans

Aquila, celsa de rupe devolans, agnum e grege eripuit. Quod cum corvus videt, aemulatione movetur. Vehementi strepitu, in arietem irruit atque ungues in vellere ita implicat ut se iam motu alarum nequeat explicare. Hunc pastor videns, prehendit; pennis alarum succisis, pueris praebet ludibrio. Ingemens, corvus secum ait, “Hei mihi! Prius, aquilam me esse putavi; nunc vero, me corvum esse cognosco.”

432. Corvus Medicus et Aquila

Aquila semel oculos doluit et vocavit corvum, qui dicitur physicus avium. Consuluit quid contra dolorem oculorum faceret. Et ait corvus, “Afferam optimam herbam quae oculos sanabit.” Et ait aquila, “Si hoc feceris, optimam dabo mercedem.” Corvus accepit caepe et spurgiam et simul distemperavit et posuit in oculis aquilae, et excaecata est. Venit corvus et pullos aquilae devoravit et ipsam aquilam multis percussionibus infestavit. Et dixit aquila, “Maledicta sit tua medicina, quod iam nihil video; insuper pullos meos devorasti.” Et ait corvus, “Quamdiu vidisti, nullatenus de pullis tuis potui gustare, attamen hoc multum affectavi, et ideo desiderium meum est completum.”

433. Corvus et Aquila, Contendentes

Aquila corvo infamiae notam exprobrabat quod soleret carnibus proiectorum cadaverum putridis vesci. “Sed utrius, amabo,” ait ille, “facinus odiosum est magis? Corvi, qui pecudes nullas devorat nisi mortuas, an aquilae, quae vivas depascitur?”

Scelera quaedam illustria sunt, at saepe ibi maxima pudendi causa est, ubi minime pudet.

434. Cornix et Avium Reges

Aves consultabant de pluribus regibus eligendis, cum aquila tantos volucrum greges sola regere non posset, fecissentque voto satis nisi cornicis monitu a tali consilio destitissent. Quae cum causa rogaretur cur non plures reges duceret eligendos, “Quia difficilius,” cornix inquit, “plures quam unus saccus implentur.”

435. Corvus Asinum Feriens

Asinus, cuius in dorso ulcus inerat, in prato quodam pascebatur. Corvus autem cum supra ipsum constitisset ac rostro ulcus feriret, asinus prae cruciatu vehementer rudebat atque saltabat. Procul interim stante agasone

deque illo ridente, lupus, forte praeteriens, ubi fieri id vidit, “Heu nos miseros,” secum ait, “nos enim homines si tantum viderint, statim persequuntur; hos vero etiam accedentes cum risu libenter excipiunt.”

436. Corvus et Lepus

Dum per rura odora lepus thymum carpit, corvus per auras volans hunc simul videt, simulque venatores adspicit procul, et “Nisi pecudem miseram cito admoneam,” ait, “his venatoribus facile praeda fiet.” Anxius ergo monitor delapsus et, postquam solo consedit, leporem quietum hortatus est fugiat et in latibulum suum se recipiat, ac vitet venatorum adventum et necem. Ille his monitis paruit, falsis licet, nam venatores alio cursum verterant. At corvus, ut humo se tollere tentat, sentit pedes retineri, cassibus impeditos in quos latentes improvidus se induit, dum saluti alterius providere cupit.

> *Qui vigilantius quam opus sit rebus student alienis, saepe nihil vident in propriis.*

437. Corvus et Vulpes Adulatrix

Corvus alicunde caseum rapuerat et cum illo in altam arborem subvolarat. Vulpecula, illum caseum appetens, corvum blandis verbis adoritur, cumque primum formam eius pennarumque nitorem laudasset, “Pol,” inquit, “te avium regem esse dicerem, si cantus pulchritudini tuae responderet.” Tum ille, laudibus vulpis inflatus, etiam cantu se valere demonstrare voluit. Ita vero e rostro aperto caseus delapsus est, quem vulpes arreptum devoravit.

> *Haec fabula docet vitandas esse adulatorum voces, qui blanditiis suis nobis insidiantur.*

438. Corvi et Caseus

Corvus, qui caseum forte reppererat, gaudium alta voce significavit. Quo sono allecti, plures corvi famelici advolaverunt, impetuque in illum facto, opimam ei dapem eripuerunt.

439. Corvus et Vulpes Mortem Simulans

Esuriens vulpes, ut aliquam simplicem avem fallere posset, abiecit se in viam, quasi mortua esset, ne vererentur illae advolare ad se. Corvus autem intuitus illam diligentius, spirare vulpem animadvertit. Itaque circumvolitans, “Non meus,” inquit, “oculus minus est subdolus quam cor tuum.”

> *Fabula proverbii sententiam innuit, quo dicitur: furem esse furi manifestum, et lupum lupo.*

440. Corvi et Vir Timidus

Timidus quidam homo olim ad bellum proficiscebatur. Cui cum corvi crocitantes occurrissent, positis armis domi se continuit. Postera die idem repetens iter, eodem auspicio territus restitit. Quapropter ille, indignatus, “Vos quidem, quantum vultis,” inquit, “crocitate, sed meas carnes ne voretis.”

441. Corvus et Viatores

Nonnullis ad opus quoddam agendum profectis, corvus oculorum altero captus obvius fuit. Conversis proinde illis et quodam ut reverterentur suadente, quod nimirum id huiusmodi moneret augurium, alter respondit, “Qui nobis ille futura praedixerit, qui neque propriam caecitatem praevidit, ut sibi ab illa caveret?”

> *Ita qui in propriis rebus desipiunt, etiamsi consilia dent aliis, inutiles et viles sunt.*

442. Cornix et Viatores

Cornix, invidens corvo quod is per auguria hominibus vaticinaretur ideoque tamquam futuri praescius vulgo haberetur, nonnullos viatores praetereuntes conspicata, super arborem quamdam ascendit, in eaque residens, valde crocitavit. Tum, illis ad vocem conversis atque admiratione perculsis, quidam, re cognita, “Incoeptum,”

inquit, “sequamur iter, amici. Est enim cornix quae crocitavit, atque ea quidem omni prorsus augurio caret.”

443. Corvus et Mercurius

Corvus, laqueo captus, Apollinem ut opem ferret precabatur, se ei tus oblaturum pollicitus. Sed, a periculo liberatus, promissi oblitus est. Rursus autem cum in laqueum incidisset, Apolline omisso, sacrificaturum se Mercurio vovit. At ille, “O pessime,” ait, “quomodo credam tibi, qui priorem, a quo servatus es, illusisti atque laesisti?”

> *Qui in beneficos ingrati sunt, in calamitates ubi inciderint, nullum auxilium nanciscuntur.*

444. Cornix et Canis

Cum cornix Minervae sacrificaret, canem ad epulum invitavit. At ille “Quid frustra,” inquit, “haec in sacrificium absumis? Dea enim adeo te odit ut tibi uni, ex tui generis avibus, augurii fidem detraxerit.” Cui cornix “Idcirco,” ait, “magis illi sacrifico, ut mihi tandem reconcilietur.”

445. Cornicula et Ovis

Cornicula strepitat in dorso oviculae. Ovis inquit, “Si obstreperes sic cani, ferres infortunium.” At cornicula inquit, “Scio quibus insultem: molesta placidis, amica saevis.”

446. Cornicula et Speculum

Auceps callidus in mediis ipsis retibus speculum palo affixum collocaverat. Cornicula sagax dolum perfidum sensit et aves ceteras monuit ne accederent. At illae sensim vitri coruscantis fulgore se pertrahi permisere, aliae post alias. Quas auceps, ex insidiis clanculum servans, simul atque videt agmine magno congregatas et garrientes et colludentes, retia repente contrahit et omnes capit.

Quo magis illecebra blanda sese obiicit, hoc magis timendum ne dolus aliquis subsit.

447. Cornix et Urna

Sitibunda cornix reperit urnam aqua plenam, sed erat urna profundior quam ut exhauri a cornice possit. Conatur igitur vano molimine aquam effundere, sed non valet. Lectos igitur ex arena lapillulos iniectat. Hoc modo aqua levatur et cornix bibit.

Necessitas est ingenii mater.

448. Graculus et Avarus

Graculus furax nummos aliquot viro avaro surripuit et loco abdito reposuit. Sed mox avarus, cum furtum cognitum haberet et furem comprehensum plectere vellet, "Mala bestia," inquit, "quis nam furor te nummos meos mihi abripere adegit? Quid tibi prodesse possunt? An hos edules putas?" "Scio non edules esse," graculus respondet; "deceptus tamen exemplo tuo, credidi eos prodesse posse tam mihi quam tibi."

449. Graculus et Noctua

Pulchritudinis erat inter aves certamen et ad Iovem, ut disceptaretur haec controversia, omnes iverunt. Mercurio itaque diem praefiniente, fluviosque et lacus omnes petiere, deformibusque pennis abiectis, elegantiores nitidabant. At cum a Natura decoris nihil haberet graculus, quae reliquis exciderant inde se illis exornavit. Sola tamen noctua, cum nosset id quod suum erat, a graculo auferebat ac ut reliquae idem facerent persuasit. His autem ab omnibus ita exutus graculus, nudus omnino venit ad iudicium Iovis.

450. Graculus et Pavones

Graculus aliquando pennis quae pavoni exciderant se ornaverat. Contemnit nunc suos seque immiscet

pavonum gregi. Hi autem impudenti avi pennas rostris eripiunt et fugant. Tum graculus tristis ad suum genus revertitur. Sed ab hoc quoque repellitur, atque unus ex iis quos prius contempserat dixit, “Si contentus fuisses sedibus nostris, illam contumeliam expertus non esses.”

451. Graculus et Ardeae Pennae

Graculus ille fur, superbus impudensque, qui ipsemet pennis radiantibus pavonis, Iunonii alitis, se exornaverat, alas ardeae revulsas forte olim reperit et, stulte cupidus, has pennas sibi aptavit quo modo potuit. Iam autumat se praepetem volatu sublimi ferri posse ultra nubes. At vix in auras crassiores se sustulit, talis remigii insolens, misere impeditur et praeceps in humum decidit, capite prono.

Fabula plagiarios ineptos notat.

452. Graculus et Columbae

Graculus, columbas bene nutritas in columbario quodam intuitus, ad eas dealbatum se contulit ut ipse quoque eiusdem cibi particeps esse posset. Ac illae quidem, donec ipse conticuit, columbam esse ratae, apud se recipere non recusarunt. Sed cum demum vocem, sui oblitus, emisisset ac proinde quis esset nosceretur, columbae eum inter verbera expulerunt. Tum ipse, spe earum cibi obtinendi frustratus, ad graculos rediit. Sed et illi, ob mutatum colorem eum minime agnoscentes, suo e consortio abegerunt atque ita contigit ut, duorum appetens, neutro potiretur.

453. Graculus, Cornix, et Aquila

Graculus, furti reus, aquilam fugiebat. Cornix miserata advolat et aesculum cavam indicat in qua tuto latere possit. “Habeo tibi,” inquit ille, “gratiam; verumtamen ista, opinor, aesculus non est, at fraxinus.” “Verumtamen,” ait cornix, “quid interest utrum fraxinus sit, an aesculus, modo tibi latebram praebeat? Fuge, stulte, fuge celeriter, et cave ne hostis ingruens tuam loquacitatem reprimat.”

Graculus abscedit, arborem indicatam propior considerat et, videns haud esse fraxinum, stolide triumphat. Periculi immemor, non modo cavum commode patentem haud subit, sed ad cornicem se refert et “O bona,” inquit, “errabas. Tibi dico hanc fraxinum tam vere esse quam vere sum graculus.” Additurus erat multa alia, cum aquila ruens imprudentem corripit et eviscerat.

Garrulitas vana multis exitio fuit.

454. Monedula et Pavo

Cum haberent comitia volucres regi creando, petiit regnum pavo, quod se ob formam eximiam illo dignum prae cunctis esse diceret. Qui cum omnium suffragia laturus videretur, “Hic tamen rex,” inquit monedula, “si forte sit factus, et aquilam hostem habuerimus, quidnam opis auxiliive poterit afferre?”

In principibus legendis non speciem modo, sed etiam virtutem et sapientiam spectari oportet.

455. Monedula Liberata

Quidam homo monedulam captat; avis pedem filo alligat, et avem filio tradit. Vita inter homines avi non grata est. Tandem illa vinculum rumpit et libertatem recuperat. Tum libera in suum nidum volat. Eheu! Vinculum ramis haeret, nec avis nodum solvere valet. Inde sub mortem ita suum fatum luget, “Me miseram! Libertas me necavit; ex servitute in mortem volavi.”

456. Monedula Esuriens et Vulpes

Monedula esuriens in ficu dormitabat. In qua grossos nondum maturos cum reperisset, ibi dum maturescerent exspectabat. Sed vulpes, eam illic immorantem conspicata reique causa intellecta, “Amica, falleris,” ait, “spei tantum inhaerens, quae pascere scit quidem, sed non nutrire.”

457. Monedula et Corvi

Monedula quaedam, corporis magnitudine ceteris praestantior, suarum consortium despiciens, ad corvos secessit rogavitque ut eorum societate frui permitterent. Illi, formam et vocem corvi ei deesse noscentes, inter verbera eiecere. Ita ab illis expulsa, ad monedulas revertitur, sed illae, ob iniuriam illatam iratae, non suscepere. Ac ita factum est ut utrorumque consortio privaretur.

458. Vultur Convivium Faciens

Vultur, volens laute prandere et ventrem suum delicatis cibis infarcire, invitavit aviculas ad convivium, natalem suum, ut dicebat, celebraturus. Haec fama exiit inter eas et hoc aucupio incautas fefellit. Veniunt igitur undique, existimantes invenire mensas omnis generis deliciarum refertas, non de suo paraturas. Sed ubi, adventatis ac coactis omnibus, fores occlusae sunt et vultur rapere et mactare et occidere coepit, "O insanas nos et vecordes," inquiunt, "quae vulturi, inimico nostro, fidimus, et apud eum putantes reperire escas, ipsae eius escae factae sumus."

459. Vultures, Leo, et Aper

Aestatis tempore, dum ardor animalia siti vexat, ad angustum fontem leo et aper potaturi concurrerant, et uter eorum prior biberet decertare coeperunt. Hinc ad mutuam caedem insurrexere; mox vero, ut paululum respirarent, pugna relicta, nonnullos vultures conspexere, qui longe exspectabant ut victus eorum quis caderet et devorarent. Id animadvertentes, inimicitias solvere, melius sibi esse aientes amicitiam servare quam vulturibus et corvis escam fieri.

460. Vultures Duo et Canes

Vultures duo, cadaver depascentes, duo ingentia frusta absciderant, quae unguibus per aera ferre decreverant,

cum subito, canibus adventantibus, alter eorum, dimissa sua parte cadaveris, eiulans, statim e canum conspectu procul abiit, alter, praedae intentus, dum partem suam dimittere cunctatur, a canibus captus est. Qui dum se iam moriturum videret, “Heu,” inquit, “me miserum et infelicem, qui parvae voluptatis causa tot vitae voluptates amittam.”

461. Bubo et Aves

Aquila in concilio avium dixerat ceterarum avium filios, qui magis formosi essent, in aulicos eligere. Et, cum certatim quaeque suos efferret, bubo “Regina,” inquit, “nostra, meos accipe, qui ceteros pulchritudine superant.” “Qua forma,” inquit aquila, “sunt filii tui?” “Qua ego sum,” bubo respondit. Tunc cunctae aves sunt vehementi cachinno commotae.

462. Bubo et Aquila

Aquila et bubo, rixis sedatis, fidem obligaverunt neutrum socii pullos voraturum. “Norisne meos?” inquit Minervae avis. “Nullatenus,” respondit aquila; “illos describe mihi, ut intactos usquequaque servem.” Tum bubo, “Elegantes sunt nati mei, belli, venusti, sciti supra coaequales omnes; eos hoc signo facile noveris.” Dum ipse ibat praedam quaesitum, forte aquila conspexit monstra deformia, truci asperoque vultu et voce furiali. “Hos,” inquit, “non genuit amicus noster; voremus igitur.” Deglutivit totam familiam; pullorum pedes invenit tantum bubo reversus, heu, cari pignoris tristes reliquiae! Queritur et obsecrat deos ut scelestum tanti luctus auctorem plectant. Quidam interpellans ait, “Tibimet imputes casum; quin potius culpes legem, qua cuncti sui similem scitum, bellum, et venustum putant.”

463. Bubo et Rosa

Volatilia semel congregata invenerunt rosam primulam et pulcherrimam, et contendebant de illa cui daretur,

et dixerunt quod avi pulcherrimae. Contenderunt quae esset pulcherrima. Quaedam dixerunt quod psittacus; aliae dixerunt quod columba, aliae quod pavo. Venit bubo et dixit se esse pulcherrimam et quod debuit habere rosam. Omnes motae sunt in risum, dicentes, “Tu es avis pulcherrima per antiphrasim, quoniam turpissima.” Exspectaverunt de sententia definitiva usque mane. In nocte clare videt bubo et, aliis avibus dormientibus, rosam furata est. Quo comperto mane, dederunt aves sententiam quod bubo numquam volaret de die nec inter alias aves habitaret.

464. Noctua et Sol

Noctua Solem culpabat quod eius radii nimis splendide fulgerent. Sol autem dixit, “Ne me, sed oculos tuos culpa.”

Stultos vitia sua latent.

465. Noctua et Cornicula

Aliquando, cum dies nondum composita esset, noctua e tristi cavo egredi ausa est et se per auras paulo longius ferre. Quam simul adspiciunt, aves innumerae undique advolant et circum volitant, certatim ipsam ambiunt et studio perstrependi gestiunt. Tunc illa secum, “Fatentur scilicet me suam reginam, et salutant, et his motibus et his cantibus gloriosis colunt.” Hinc ergo superbit. Quod videns, cornicula “Fuge, stulta,” dixit, “et cavum tuum repetere propera. Non modo tibi honos nullus habitus est, at ipsa facta es ludus et iocus.”

466. Noctua et Quercus

Aves ad noctuam convenerunt eamque rogarunt ut ex aedium foraminibus emigraret, adque arbores, sicut et ipsae, harumque ramos nidum conglutinaret, unde clarius canere liceret; quin etiam quercui, tum primum nascenti, cum adolevisset, commode insidere posse atque viridi frui coma. At noctua aves admonuit, ne laeterentur super illius plantae germinatione, quae

viscum procreare soleret, unde pernicies avibus oriretur. Illae vero noctuae consilium non approbarunt sed, contra, quercu crescente gavisae sunt et super illam adultam factam sedere atque cecinere. Nato autem visco, cum iam facile ab hominibus caperentur, sero paenitentiam egere noctuamque de consilio sunt admiratae. Ad illam accedunt, at accedunt frustra, accepto malo.

467. Upupa et Luscinia

Upupa pulchra, varietate colorum distincta et eximie cristata, dixit lusciniae, “Tota nocte cantas; super ramos duros saltas. Veni et quiescas in nido meo.” Quae adquievit et in nidum upupae descendit, sed stercora fetentia invenit, quod ibi morari non potui et avolavit dicens, “Magis volo super duros ramos saltare quam in tali fetore quiescere.”

468. Upupa ab Aquila Honorata

Invitatae fere omnes aves ad aquilae nuptias, indigne ferebant upupam ceteris praeferri, quia corona insignis esset et versicoloribus pennis ornata, cum semper inter stercora et sordes solita esse volutari.

> *Haec fabula stultitiam eorum arguit qui in hominibus honorandis potius vestium nitorem praestantiamque formae quam virtutes moresque soleant attendere.*

469. Ciconia et Vulpecula

Vulpecula ad cenam invitavit ciconiam, obsoniumque in mensam effundit et, cum liquidum esset, lingua lingebat, quod ciconia frustra rostro tentavit. Abit elusa avis; pudet pigetque iniuriae. Paucis diebus praeterlapsis, invitat ad cenam vulpeculam. Vitreum vas situm erat, obsonii plenum. Quod cum esset arcti gutturis, vulpeculae licuit obsonium videre, gustare non licuit; ciconia enim rostro facile exhausit.

> *Fraudem fraude refellere licet, risus enim risum, iocus iocum, dolus meretur dolum.*

470. Ciconia a Rustico Capta

Rusticus quidam anseribus et gruibus, quae semper nascentia germina devorabant, laqueos in agro posuerat. Cum vero ciconia etiam una cum illis in pedicas incidisset sibique pes alter diffractus esset, his agricolam, ut liberam dimitteret, orare coepit, “Me quaeso, vir, serva immunemque dimitte, teque mei claudicantis miseratio tangat. Nuper enim huc advolavi, neque grus ego sed ciconia sum, omnium quidem avium pientissima, quippe quae parentibus inservio singulisque eorum necessitatibus prospicio.” Agricola vero, in risum vehementer effusus, “Satis,” inquit, “et ego te novi, mihique ignota non es; scio praeterea, qui tui mores sint. Sed cum illis te cepi, cum illis quoque morieris.”

471. Ciconia et Catus

Ciconia anguillam sibi et pullis suis ad vescendum portavit. Quod videns catus, qui libenter comedit pisces, licet non velit humectare pedes, ait, “O avis pulcherrima, rostrum habes rubeum et plumas albissimas; numquid rostrum tuum ita rubeum est interius ut exterius?” Ciconia noluit aliquid respondere nec rostrum aperire, quia noluit anguillam dimittere. Iratus murilegus vituperabat ciconiam, “Vel es surda vel muta. Non poteris respondere, miserrima? Nonne quandoque comedis serpentes quae sunt animalia venenosa et immundissima? Quodlibet animal mundum munda diligit, et tu, turpia et immunda. Igitur es inter ceteras aves immundissima.” Ciconia, nihil respondens, cum anguilla tenuit viam suam.

Sic vir iustus nec in laudibus extollitur nec in vituperiis deicitur.

472. Ciconia et Uxor Eius

Ciconia semel rixata est cum uxore sua et cum rostro oculum extraxit. Verecundata ciconia quod talem iniuriam intulerit, in aliam regionem volare coepit. Obviavit ei corvus et quaesivit causam itineris. Ciconia dixit quod

cum rostro oculum uxoris extraxit. Respondit corvus, “Nonne adhuc habes idem rostrum?” Dixit ciconia quod sic. Dixit corvus, “Quare igitur fugis, quoniam, ubicumque fueris, semper rostrum tuum tecum portas?”

473. Ciconia, Mures, et Ranae

Ciconia, cum ranae subter aquas occultarentur et mures in cavernis, hanc artem excogitavit ad eliciendum genus quod caperet utrumque. Accedit ad paludem et ibi demersis ranis narrat se audiisse mures ita loquentes de ranis ut superbissime eas contemnerent. Ibi ranae, commotae ira, dicere se esse paratas ad proelium cum muribus. Hoc perfecto, avolat ciconia ad musculorum cavernas et permulta narrat de ranarum elatione et superbia. Tum mures non minus irritati et ipsi quod provocarentur nequaquam se conflictum defugere dixerunt. Quaeritur igitur campus magnus, aequabilis, apertus ad conflictum et eo invento tam a palude quam a cavernis remotiore, in hoc iam ambae acies instructae procedebant. Atque ita illae copiae militares egregiae a ciconia utraeque interficiebantur.

474. Grus et Aquila

Aquila cum grue per aetheris liquidi plagas altiores volabat. Dum aquila oculis acribus hinc lustrat humum, candidam pellem adspicit, tali artificio positam ut intuentibus agni corpus et caput et pedes referret. Laeta voce sociam compellans, “Videsne hunc,” inquit, “agnum in colle pascentem?” Grus respondet, “Ni oculos tuis pares habeam, longius remotum cernere mihi non licet. Saepius tamen in hac regione vidi agricolas volucribus magnis insidias tendere. Et istud quod tibi praedae loco est, subvereor, ne fors dolum aliquem obtegat. Itaque cavere oportet.” “Odiosa es,” aquila ait; “tace. Scio hunc agnum tam certo quam te esse gruem.” Sic fata, more fulminis delabitur et praedam inanem viribus totis petit. At sub pelle dolosa cuspis quae latet mortifera pectus irruentis traiicit.

475. Grus et Lupus

In faucibus lupi os inhaeserat. Mercede igitur conducit gruem, qui illud extrahat. Hoc grus longitudine colli facile effecit. Cum autem mercedem postularet, subridens lupus et dentibus infrendens, “Num tibi,” inquit, “parva merces videtur, quod caput incolume ex lupi faucibus extraxisti?”

476. Grus et Cornix

Grus et cornix, inter se coniuratione unita, firmaverunt ut grus cornicem ab aliis avibus defensaret et cornix illi futura praevidendo narraret. Quae dum ad agrum cuiusdam saepius advenirent, agri dominus doluit et ait puero, “Da mihi petram.” Cornix gruem monuit et caute se egerunt. Alia vero die audiens cornix quod petram quaereret, commonuit gruem ne mali aliquid pateretur. Perpendit homo quia cornix divinaret. Puero dicit, “Quando dixero ‘da mihi offam,’ porrige lapidem.” Tum dixit puero ut daret offam at ille porrexit lapidem, qui gruem percussit et crura eius fregit. Vulnerata grus dixit cornici, “Ubi sunt divina auspicia tua? Cur me non monuisti?” Respondit, “Mea intellegentia culpabilis non est, sed omnium malorum sunt dolosa consilia, qui aliud dicunt, et aliud agunt.”

477. Grues et Agricola

Grues agricolae arva depopulabantur quibus nuper frumentum severat triticeum. Et ille, vacua longum quassata funda, fugabat aves perculsas metu. Quem cum intellexere funda ferientem auras, despexere deinceps ut iam non fugerent, donec non diutius egit quomodo sueverat, sed iactis lapidibus contudit plurimas. Grues autem, agro derelicto, aliae aliis “Fugiamus,” crocitabant, “in Pygmaeorum regionem. Homo iste non amplius nos territare velle videtur, sed incipit iam et facere aliquid.”

478. Ardea et Accipiter

Aquila irata fuit accipitri, et aves ex praecepto aquilae eum fugientem insecutae sunt. Accipiter in antrum se misit ut mortem evaderet. Volucres foris astabant; cum autem diu exspectatus non exiret, qualiter extraheretur cogitabant. Visum est eis quod ardea eum intus impeteret et apprehenderet. Sed cum ardea eum rostro fatigaret, accipiter intrusum collum apprehendit et captivam eam tenuit. Illa autem, nimio terrore occupata, stercora dimisit, quibus socias aves sursum aspectantes deturpavit. Tandem vero, collo recuperato, ipsa statim mare transire cogitavit et in viam se misit. Cui cornix obvia data quo vadat quaerit. Et ait ardea, “Pudor fugat me de patria et propero transire maria.” Cui cornix, “Mea laude ad patriam redibis, quia, quocumque fugeris, semper culus tuus adhaerebit tibi.”

479. Alcedo et Nidus Eius

Alcedo avis est solitudinis amans semperque in mari degere solet. Hanc, vulgo ferunt, ut venatores effugiat, in maritimis scopulis nidificare. Illa igitur, aliquando paritura, pro more nidum fecit. Cum autem ad cibum quaerendum egressa esset, contigit ut maris undae, magno ventorum impetu excitatae, supra nidum attollerentur, eoque summerso, pulli perirent. Quod ut ipsa reversa vidit, “Heu me miseram,” inquit, “quae, terram vitans utpote insidiis plenam, ad mare confugi quod nunc infidum magis experior.”

480. Larus et Milvus

Larus, cum piscem degluttisset, disrupto gutture, supra navem semianimis iacebat. Hunc autem cum milvus vidisset, “Digna sane tulisti,” ait, “quod volucris natus cum sis, supra mare vitam traducis.”

481. Mergus et Stellae

Nox erat serena admodum et lucida splendoreque stellarum clara. In hac mergus per stagnum ferebatur, piscium capiendorum causa. Utque renidentem in aqua fulgorem stellarum cernit, ratus pisces se conspicatum, appetit scintillas in aqua apparentes et sese in eas captans incitat. Mox, ubi se deceptum neque pisces esse quos crediderat sensit, a labore inani desistendum sibi esse decrevit. Die autem orto videt matutino tempore in liquido stagno sub aquis splendorem squamarum in piscibus relucentem, at ille de frustratione nocturna cogitabat etiam istas vanas esse imagines patiebaturque praeterfluere pisces, ne, ut arbitrabatur, laborem iterum inutilem susciperet. Ac tandem loca illa in quibus copiose ali potuisset, deseruit, inque ea se contulit, ubi cum fame et variis malis conflictandum esset.

482. Hirundo et Aviculae

Hirundo, cum linum coeptum esset seri, suadebat aliis aviculis impedire sementem, dictitans omnibus fieri insidias. Irridebant illae garrulamque vocabant. Surgente lino, rursum monebat evellere sata; irridebant iterum. Maturescente lino, hortabatur populari segetem et, cum ne tunc quidem consulentem audirent, hirundo cum homine foedus init cohabitatque cum eo. Ceteris avibus e lino retia fiunt et laquei.

> *Multi nec ipsi consulere sibi norunt, nec recte consulentem audiunt sed, cum in periculis versantur, tum demum incipiunt suam damnare socordiam.*

483. Hirundo et Filia Eius

Hirundo prudens filiam sic monebat, “Me sequere; pennis paribus mecum contende hac qua praevolo, atque - audisne? Laevam time; cave huc aberres: video bacillos muro proximo adfixos. Vetula sum, et homines dolosos et perfidos iam diu novi; aliquid mali ibi esse suspicor.” At illa murmurans inquit, “Quid mater mea sibi fingit?

Quid somniat? Vere fatetur se vetulam; arbitror enim has eius nugas plane aniles esse. Me ad bacillos istos accedere vetat; minime equidem id facere cogitaveram, at protinus experiri volo quam non timendum fuerit quod me timere iubet." Dixit simulque huc levis provolavit, unde revolare miseram non sinent doli, quos parens nimium provida fugere iussit. Nam vix attigerat, sentit, et frustra gemit sese compede glutinosa retentam.

Pueri et puellae meminerint avem contumacem in tam grave periculum irruisse non quod placeret, sed quia vetitum fuit.

484. Hirundo et Formicae

Hirundo olim formicas laborantes conspexit. Diu laborem admirata, "Quid," inquit, "agitis, formicae?" "Brevi redibit hiems," responderunt illae; "itaque aestate grana in horrea nostra condimus, ne fame pereamus." "Optime habet," dixit hirundo, "prudentiam istam et ipsa imitabor." Quo dicto, huc illuc volitans, grana et cibum sub tignis in hiemem condebat. Altera tamen hirundo "Operam," inquit, "perdis. Sub adventum hiemis in alias terras mecum migrabis et grana ista aliis relinques; non poteris enim ea tecum portare."

Non igitur omnes sunt omnibus imitandi.

485. Hirundo et Corvus

Hirundinem inter et corvum de formositate certamen erat. Hirundini exprobrat corvus, dicens formam eius non nisi veris tempore conspici, hieme autem non posse resistere frigori. "Meum vero," corvus addit, "corpus et frigori hieme et calori aestate par est."

486. Hirundo et Cornix

Hirundo ita olim cornicem est allocuta, "Ego virgo sum, ego Atheniensis, atque regina, nec non regis Atheniensium filia." His expositis, narravit etiam ut a Tereo violata, ac sibi lingua ab eodem excisa fuisset. Quapropter cornix

“Heu, quid esset,” exclamavit, “si linguam haberes, cum tam garrula sis postquam tibi dempta fuit?”

Ita qui falsa iactanter enarrant, se ipsos tandem falsitatis arguunt.

487. Hirundo et Anguis

In foro, ubi iudicia fieri solebant, affixerat nidum suum hirundo; huius pullos anguis laesit. Tum illa “O conditionem miseram,” inquit, “cum eo loco, ubi alii ius suum obtinent, mihi potissimum vis et iniuria allata fuit.”

488. Hirundo et Turdus

Gloriabatur turdus se amicitiam contraxisse cum hirundine. Cui mater “Stultus es, fili,” inquit, “si credis cum ea posse convivere, cum uterque vestrum diversa soleat appetere loca. Tu enim frigidis, illa tepidis delectatur locis.”

489. Hirundo et Iuvenis

Temulentus et dissolutus quidem iuvenis, qui patrimonium integrum decoxerat, ipsa etiam vestimenta solebat pro pecuniis venum dare. Ad hoc, ex augurio circumvolantis hirundinis coniiciens iam aestatem appropinquasse, illico vestitus exuit et seminudus in popinas delituit. Sed, cum brumae reliquiae redeuntes maiori frigore saeviebant et hirundinem enecassent, iuvenis tandem circumvagabatur et, aviculam mortuam offendens, inquit, “O infelicem augurem et tui et mei infortunii!”

490. Passer in Myrto Degens

Passerculus quidam degebat in myrto; captusque amoenitate arboris, numquam inde recedebat. Auceps vero, qui illi fuerat insidiatus, correptum volebat interficere. Passerculus autem, neci proximus, ita

locutus fertur, “Heu misero mihi, cui ciborum dulcedo attulit necem.”

491. Passer et Statua

Quaedam statua, hominis habens imaginem, stabat in campo, cum arcu extento ad destruendum volucres. Volucres vero magni et parvi, videntes illam imaginem, statim confugiebant et non erant ausi in illo campo pascua sua quaerere. Tunc passer animosus, hanc videns, appropinquavit ei, et illa imago non movit se; et propius usque ad pedes eius venit, et non movit se; et ascendit super caput eius, et non movit se; et volavit super arcum et sagittam suam, et nihil ei fecit. Deinde volavit super nasum suum et merdavit inde os eius, et alii volucres similiter fecerunt.

492. Passer et Accipiter

Passer in laguncula ad murum affixa nidum posuerat. Accipiter famelicus huc venit et, cum lagunculae aditus angustior foret ut intro succedere posset, unguibus exertis praedam attrahere tentat. Passer in ultima parte latibuli prudens se contineret. Nil periculi erat; verum ira ad nefarios ausus latronis incitatus, “Tene, sceleste, sic lentus feram,” dixit, “etiam in domos nostras grassari?” Simulque adversus hostem ferox se infert ut oculos fodiat. At accipiter vafer, vix sentit hunc sibi occurrere, ungues retrahit, similis timenti; atque ubi passerem videt foras erumpere capite prono, irruit. Obluctantem frustra et in cavum remeare iam frustra volentem corripit, educit, aufert, moxque lacerat et vorat.

> *Tenues monentur ut potentum iniurias discant pati, ne malum gravius arcessant.*

493. Passer et Scarabaei

Magnus timor aves incesserat, ne scarabaei arcu pilari eas occiderent, a quibus magnam pilarum vim in sterquilinio summo labore fabricatam audierant. Tunc passer “Nolite,”

inquit, “expavescere. Quomodo enim pilas in nos per aera volantes iacere potuerunt, cum eas per terram magno molimine vix trahant?”

494. Passer, Lepus, et Aquila

Passer leporem, oppressum ab aquila et miserabiliter eiulantem, obiurgabat. “Ubi,” inquit, “est tua pernicitas? Quid ita cessarunt pedes?” Dum garrit, ipsum accipiter inopinantem rapit questuque vano clamitantem interficit. Lepus semianimus in morte solacium habuit. “Tu,” inquit, “qui modo securus nostra irridebas mala, simili querela mortem deploras tuam.”

Noli misero insultare.

495. Pica et Cauda Eius

Pica levis, quotiens alis pressis consederat, caudam suam gesticulando flectebat. Credens se morem turpem cum patria linquere, illa transiit non modicum fretum, sed frustra. Nam mox cum consedit in ripa ulteriore, caudam suam vibravit more priore. “Mores,” inquit, “mutare putabam cum patria, sed mihi nunc vitium idem trans mare restat.”

Sic ille qui mores componere putat, loca mutans,
non animum, fretum transfretat incassum.

496. Pica Loquax et Aquila

Pica aquilam rogabat ut se inter suos familiares et domesticos acciperet, quando id mereretur cum corporis pulchritudine, tum ad mandata peragenda linguae volubilitate. Cui aquila “Hoc facerem,” respondit, “ni vererer ne, quae intra tegulam fiunt, tua loquacitate cuncta efferres.”

497. Pica et Cuculus

Pica inter arborum frondes delitescentem cuculum conspicata, accipitrem esse suspicata est. Quare

concitata fugiebat. Quod nonnullae aliae aves, quae prope aderant, intuitae, picam irridebant, quod pro accipitre cuculum fugeret. Quibus illa, “Malo,” inquit, “a vobis irrideri quam ab amicis fleri.”

498. Pica et Columba

Pica et columba pavonem convenerant, ut eum salutarent. Dum revertuntur, maledica pica “Quantopere,” inquit, “mihi displicet pavo! Quam insuaves edit sonos! Cur non silet? Cur non occultat pedes deformes?” Cui respondit innocens columba, “Vitia eius non observavi, verum formositatem corporis caudaeque nitorem adeo mirata sum, ut non possim eum satis praedicare.”

Boni bona, mali mala exquirunt; illi ut laudare, hi ut carpere possint.

499. Turdus Visco Captus

Turdus, in retia aucupis incurrens, nec se extricare valens, supra modum suam sortem dolebat, non tam quod sibi moriendum esset, quantum quod suis ipse armis periret; visco enim captus erat, et viscum e turdorum stercore fieri aiunt.

Quem enim non taedeat mori, qui suae mortis causa sit?

500. Turdus et Merula

Merula, suspiciens milvum magno ambitu aera circinantem ingentesque eiulatus edentem, vehementer exterrita est. Cui turdus “Ne trepida, soror,” inquit, “tantos pugnae apparatus; totque minas in exiguum murem aut in pullum gallinaceum tandem effundet. Cavendum nobis est ab accipitre, cuius prius ungues quam vocem sentire solemus.”

Fabula indicat magis quietos et tacitos homines quam minaces et verbosos extimescendos.

501. Turdi Domi Remanentes

Cum ex maximo turdorum globo qui ad vindemias devolarant exigua sane pars domum forte revertissent, sed hi sagina crassi et obesi, qui domi remanserant hos conspicati, livore tacti, suam pessimam sortem conqueri coepere, quod cum iis simul ad tam beatas dapes non profecti essent. Quibus unus ex iis qui reversi erant ait, “O inscientes atque rerum improvidi! Annon videtis ex quot millibus qui ante, saginae spe et crapulae, exiveramus, ad quam paucitatem nunc redacti sumus, ceteris foedo exitu desideratis, captis, necatis? Quod si miserias, si pericula, si metus et casus graves aestimetis, nae, vobis iam fugerit haec stulta libido eundi pabula externa conquisitum!”

Aula paucos beavit, plures perdidit; sed et hos ipsos quoque, quos beavit, perdidit.

502. Alauda, Pulli, et Agri Dominus

Alauda positos in segete pullos monet ut, dum ipsa abest, diligenter attendant praetereuntium sermones de messe. Redit a pastu mater. Pulli anxii narrant dominum agri operam illam mandasse vicinis. Respondet nihil esse periculi. Item, alio die, trepidi aiunt rogatos ad metendum esse amicos. Iubet iterum illa ut sint securi. Tertio, ut audivit ipsum dominum cum filio statuisse postremo mane cum falce messem intrare, “Iam,” inquit, “est tempus ut fugiamus. Dominum enim agri timeo, quia probe scio quod illi res cordi est.”

503. Alaudae et Bubo

Alaudae bubonem sibi regem praefecerunt, ut eas ab importunis avibus defenderet, eo quod fortis et proceri corporis esse videretur. Cum autem quadam die volarent, capta est alauda illa quae in extremo exercitus alias sequebatur et delata est querimonia ad regem, qui respondit, “Quare in extremo et periculoso loco ibat?” Postmodum capta est alia quae in prima parte volabat,

et respondit bubo, “Quare in prima parte se posuit?” Tandem, capta quadam alauda, quae in medio volabat, respondit bubo, “Quare inquietatis me? Quid vultis ut faciam vobis? Semper consuetudo fuit ut a nisis caperentur alaudae.”

504. Cassita et Auceps

Auceps laqueos disponebat et struebat insidias avibus, cuius opera contemplans cassita, quid rei gereretur admirans, accessit propius, et sciscitatur de homine quid struat. Respondit ille se urbem condere. Atque omnibus perfectis, occultat se intra ramos arborum. Cassita ad novam urbem aspiciendam celeriter advolat et, laqueo implicita, capitur. Cumque accurrisset auceps, tristis haec illi, “Si tales urbes condis,” inquit, “non facile multos incolas reperies.”

505. Galerita Laqueo Capta

Galerita, cum laqueo capta esset, “Heu me miseram,” plorans aiebat, “atque infelicissimam volucrem! Aurum nemini, nec argentum, nec quidquam aliud pretiosum surripui, atqui parvum tritici granum mortis mihi causa fuit.”

506. Galerita et Pater Eius

Aesopus ait galeritam, avium primam omnium, ante terram generatam fuisse, ac deinde patrem eius morbo extinctum, cum terra non esset, quinque dies insepultum iacuisse; illam autem, quidnam ageret incertam ob rei difficultatem, patrem denique in capite sepeliisse.

507. Carduelis et Puer

Carduelis avis, interrogata a puero, a quo in deliciis habita et suavibus et largis cibis nutrita fuerat, cur cavea egressa regredi nollet. “Ut meo,” inquit, “me arbitratu, non tuo, pascere possim.”

508. Cuculus et Cantus Eius

Ad sturnum, qui ex urbe aufugerat, volavit cuculus; scire enim volebat quid homines de cantu suo iudicarent. “Quomodo,” interrogavit, “homines de luscinia loquuntur?” Ille respondet, “Lusciniae cantum maximopere laudant.” “Quomodo de alauda?” “Multi quidem huius cantum laudant.” “Quomodo de coturnice?” “Nonnulli etiam coturnicis cantu delectantur.” “Quid vero de me iudicant?” “Hoc,” inquit sturnus, “dicere tibi non possum; nusquam enim tui fit mentio.” Id non exspectaverat cuculus. “Si ita est,” inquit iratus, “in posterum semper de me ipse loquar.”

509. Cuculus et Aquila

Volucres quondam invenerunt nidum ex rosis contextum et floribus aromatum, et dixit aquila quod nidus ille daretur avi nobilissimae et facit convocare volucres caeli. Et quaerebat ab eis omnibus audientibus quae esset avis nobilissima. Et respondit cuculus, “Kuk, kuk.” Item quaerebat aquila quae esset avis velocissima. Et respondit cuculus, “Kuk, kuk.” Item quaerebat quae avis esset formosissima. Respondit cuculus, “Kuk, kuk.” Et quaerebat quae esset avis melius cantans. Et respondit cuculus, “Kuk, kuk.” Cui aquila indignata ait, “Cuculus infelix, te ipsum semper laudas, et ideo summam condemnationis contra te promitto, quod nec istum, nec alium nidum umquam habebis.” Unde cuculus semper ponit ova sua in nido alterius avis.

510. Cuculus, Luscinia, et Asinus

Orta contentione lusciniam inter et cuculum, uter suavius caneret, delectus est pro iudice asinus, et ipse vocis cantandi peritia, suo iudicio, non ignobilis. Iubente asino, prior cantat luscinia modulaturque carmen tanta dulcedine et varietate distinctum ut nil esse posse suavius diceres. Eodem iubente, vicissim cantat cuculus antiquam suam ridiculamque cantilenam. Quo cantante, arrigit ambas aures asinus et delectatus suavitate cantus cuculi,

ut qui ad suum cantum propius referret; pronuntiat victorem cuculum, victam lusciniam.

> *Non mirum si quotidie ad aram iustitiae naufragetur innocentia, ubi asinus fiat iudex.*

511. Cuculus et Misinga

Volucribus quondam pro rege suo eligendo ad concilium congregatis, audita est vox cuculi a longe concinentis. Omnes vocem tam sonoram laudabant, sed avem quae vocem emiserat ignorabant. Dicebant eam avem tantae facundiae regimine dignam esse. Miserunt igitur misingam ad contemplandum eius staturam. Quae veniens, sedit in arbore iuxta cuculum. Volens misinga cuculi conditiones experiri, supra dorsum eius foeditates egessit, nec cuculus in aliquo se commovit. Tunc misinga ad concilium rediens moresque cuculi detestans, ipsius inhonestiam ceteris avibus nuntiavit. “Quomodo,” inquit, “cuculus contra avem magnam se defendet, qui mihi, avium minimae, resistere non audebat; absit ut talem nobis in principem eligamus, sed potius aliquem sapientem, fortem viribus et audacem.” Assensu ergo omnium fecerunt aquilam sibi regem, quam dignam imperio iudicabant.

512. Columba et Hydria Picta

Columba, siti compulsa, aquam ut inveniret, huc illuc ambulaverat. Conspecta deinde picta in pariete hydria, vas aqua plenum se invenisse credens, celeri impetu petiit potum. Sed semianimis illisa parieti concidit humi. Morti ergo vicina, sic secum locuta est, “Infelix ego et misera, quae, aquae nimis appetens, non cogitaram vitae periculum.”

513. Columba et Lutum

Columba candida delata impetu in lutum et inquinata fuit. Cum irrideretur a luto et hoc contemnens et se consolans, emendabile ait damnum factum, et esse

munditiem suam, foeditatem luti propriam. Atque deinde ad undam puram accedens, contractas maculas eluit.

Innocenti maledictis aspergi quidem potest,
sed veritas illi pristinum nitorem facile restituit.

514. Columbae Pullus a Corvo Raptus

Corvus semel rapuit pullum columbae, et venit columba ad nidum corvi, supplicans quod redderet sibi pullum suum. Et ait corvus, "Scisne cantare?" Et ait columba, "Scio, sed minus bene." Et ait corvus, "Canta igitur." Cantavit igitur columba ut scivit. Et ait corvus, "Canta melius, vel pullum non habebis." Et ait columba, "Nec possum nec novi melius cantare." Respondit corvus, "Pullum igitur non habebis," et corvus cum uxore sua pullum columbae devoraverunt.

515. Columba et Cornix

Columba domestica, singulis mensibus pullos aut ova excludens, de fecunditate sua insolenter gloriabatur, audiente ac vidente de proximo cornicula. Quae non inscite ad eam "Desine, soror," ait, "gloriari; quanto enim fecundior es, tanto mihi videris infortunatior, aliis pariens, non tibi."

516. Columba et Pica

Columba, interrogata a pica quid eam induceret ut in eodem semper loco nidificaret, cum eius pulli inde sibi semper surriperentur. "Simplicitas," respondit.

Haec indicat fabula facile esse viros probos
saepe decipi.

517. Columba et Mustela

Cum mustela catulos suos quotidie transferret, hanc columba interrogavit quid toties locum mutare tamque sollicitam esse cogeret. Illa respondit, "Cum te pullos tuos

educare usque in eodem loco viderem et hos tibi usque subripi, ista tua securitas me anxiam fecit.

518. Columba et Villicus

Villicus, cum cibum columbae poneret, “Certe,” inquit, “doleo quod ista grana tibi afferre cogor. Quanto iustius bovi apponerentur, cuius irrigata sunt sudore multo! Faeno tamen vili contentus, ille vitam sustinet, sed aegre id fero te otiosam desidemque tam bonis vitae subsidiis gaudere.” Columba retulit, “Talibus granis me refici doles, at sedulus tu illa pessima delegistis ex toto acervo, reservans tibi quaecumque bona sunt. Iudicas his bovem operarium longe digniorem fuisse, sed natura eius tales cibos non petit. Me denique otiosam ac desidem vocas, ingrate! Potes oblivisci te nostris fetibus perfrui? Mihine pullos educo, an tibi, qui hos mihi saepe abripis et voras, cum lanuginem teneram vix induerunt? Desine ergo curam tuam tam levem queri, unde pretium tibi redit fenore tanto.”

519. Columba et Lupus

Lupus vidit columbam silvestrem ramusculos colligere et ait illi, “Tota die te video ad ligna circuire et ramos congregare, sed numquam te vidi bonam domum habere vel bonum ignem facere.” Cui columba respondit, “Semper, ex quo vicini fuimus, te vidi oves trahere et congregare, sed numquam vidi te melius inde vestitum vel maiorem habere familiam.”

520. Columbae Duae, Maritus et Uxor

Dicitur enim quod duae columbae erant in uno loco et habuerunt frumentum collectum in uno vase. Frumentum erat molle et vas erat plenum. Fecerunt itaque pactum inter se ut neutra comederet de frumento. Calefacto aere et desiccato frumento, diminutum est et oppressum videbatur. Rediit maritus et putans quod illud comedisset uxor, eam tantum verberavit quod mortua est. Postquam

vero pluit; frumento remollificato, vas repletum est. Ille autem videns quod iniuste uxorem verberavit, intantum flevit quod mortuus est.

521. Columbae et Nisus

Nisus semel rapuit columbam et devoravit. Aliae columbae acceperunt consilium cui conquererentur et dixerunt, “Duci!” Est autem avis nomine “dux,” magno capite et maior aquila, et ideo columbae conquestae sunt ei de niso, quod faceret iustitiam. Audita querela, respondit dux magna ingurgitatione, “Cloc!” Quo audito, dixerunt columbae, “Quam bene intonuit! Certe faciet sibi de niso unum morsellum.” Iterum venit nisus, et aliam columbam rapuit. Accesserunt columbae ad ducem et respondit, “Cloc!” Dixerunt columbae, “Quam strenue comminatur; optime faciet iustitiam.” Nisus tertiam columbam accepit. Columbae tertio venerunt ad ducem ut vindictam acciperet. Et ipse respondit, “Cloc!” Audientes dixerunt, “Semper dicit cloc, et numquam iustitiam facit. Recedamus a regno suo et infestemus eum sicut stultum.” Hinc columbae, quando ducem vident, eum infestant.

522. Columbae, Aquila, et Accipiter

Aquilam regem omnium avium traditum habemus ab antiquis. Quae aliquando in summitate quercus resedit; accipiter autem, qui iudex avium est vocatus, subtus aquilam consedit in ramo qui vicinior erat terrae. Super terram vero, levi alarum plausu, granis frumenti satiatae, columbae colludebant. Quibus ita loctus est accipiter, “Quae audacia sic lasciviendi vobis praestat fiduciam, me praesente, qui iudex vester vocor et dominus? Certissime noveritis quod, si aquila, rex noster, super me non assideret, aliis vos ludis citissime implicarem.”

Utile est iudicem sublimiori subditum esse potestati, cuius formidine iram suam infra terminos suos constringat.

523. Columbae et Regina Earum

Venator quidam dispersit grana tritici. Ecce venit columba cum maxima turba columbarum, quarum omnium ipsa erat ductrix. Et, maxime esurientes, hic et ubique prospicientes, statim viderunt triticum, non perpendendo de rete; corruerunt omnes ad capiendum triticum, et omnes in rete captae sunt. Et videns haec venator gavisus est; columbae vero, cum sentirent se captas, commovebant se lamentabiliter hinc et inde, intendentes ac desiderantes posse evadere a rete. Quibus tandem ait ductrix earum, “Nequaquam circa vanitatem attendere debetis nec altera vestrarum diligat seipsam magis quam alteram; sed omnes simul surgite; forsitan sublevantes rete poterimus evadere ab isto magno periculo, quo nunc, proh dolor! sumus constituti!” Fecerunt itaque sublevantes rete de terra magno cum labore, et volabant cum eo per aerem.

524. Palumbes, Cornix, et Venator

Venator, collineans, arcum tendebat, visa palumbe. Cui cornix, “Quid restitas? Hanc sagittam quae tibi minatur non vides?” “Video,” inquit illa, “sed quam venator retro ad se reducit, me petere nedum velit.” Dum misera palumbes sic ipsam se decipit, sagitta volans transverberat improvidam.

525. Perdix et Galli

Cum quidam domi haberet gallos, mercatus est perdicem et eam dedit in societatem gallorum alendam et saginandam una cum eis. Galli, quisque pro se, mordebant, et eam abigebant. Perdix autem apud se afflictabatur, existimans talia sibi inferri a gallis quod suum genus alienum esset ab illorum genere. Vero ubi non multo post aspexit illos inter se pugnantes et mutuo percutientes, a maerore et tristitia recreata inquit, “Equidem post haec amplius non afflictabor, eos videns dimicantes etiam inter se.”

526. Perdix et Vulpes

Perdix dum in loco eminentiori sederet, advenit vulpes et dixit ei, “Quam formosa est facies tua, crura tua et rostrum, os tuum sicut corallum! Nam si dormires, pulchrior esses.” Credens ei, perdix clausit oculos atque eam illico vulpes rapuit. At perdix fletu permixta locuta est, “Per artium tuarum virtutes te quaeso, ut antea nomen meum dicas et sic me devorabis.” At ubi vulpes perdicem voluit nominare, aperuit os et evasit perdix. Dolens, vulpes ait, “Heu, me quid opus fuerat loqui?” Respondit perdix, “Heu, me dormire quid necesse erat, cui somnus non venerat?”

Fabula scripta est eis qui, ubi necessarium non est, loquuntur, et ubi vigilare oportet, dormiunt.

527. Perdix et Villica

Perdix, gravibus infortuniis vexata, ad villicam confugerat. “Matris miserere,” inquit, “quae potes sine metu parere et educare liberos! Venator, heu, crudelis atque barbarus, ova me incubare non sinit et, ferocius ingruens, nido expulit. Te ergo nunc obtestor, O bona, per dulce matris nomen, habere me hospitam velis, et nidum meum transfer in domum tuam.” Villica his precibus ultro annuit et iureiurando hospitali se obligat. Ad ova indicata properat, colligit et in cubiculi secreti angulo locat. Laeta tenerum gregem exsistere videt, at ubi corpus atque pinguitudinem pullis venisse advertit, dulce et utile horum carnibus vesci meminit et epulum solemne viro praeparandum esse. Heu, misellos necat et verubus fixos coquit; ipsamque matrem elixam iusculo condit.

Ubi utilitas pugnat, fides facile vincitur.

528. Perdix et Auceps

Auceps, retibus extensis, captabat perdicem. Volucris illa, captata, supplicabunde illum rogabat ut se demitteret, promittens se in retia plurimas aves allecturam. Cui

auceps, “Nequaquam hoc faciam, nam procul dubio me decipies, quae sodales tuos proditura es.”

Fabula docet numquam fidem illis adhibituram, qui alios semel fefellerunt.

529. Perdices Duae et Auceps

Perdices duae in agro eodem pullos simul educabant, una quidem complures, at altera duos tantum. Parens ditior istam pauperem prae se contemnere coepit et “Quantis damnis,” dixit, “me affici prius necesse esset quam mea fortuna tuae similis fieret!” Parens paupercula, cum talem superbiam ferre non posset, loco diversa paulum abscessit. Auceps interea, dolis omnibus suis instructus, tacito gradu illuc accedit. Hanc pascentem cum prole gemina videt respuitque. At alteram, pullorum grege tanto stipante cinctam, pariter ut adspicit, eo unice industriam confert et pedicarum dolos caecos, et matrem et omnem familiam simul capit.

530. Perdices et Vespae

Vespae atque perdices, siti olim correptae, ad agricolam quemdam se contulere et, ab eo potum petentes, summas illi pro potu gratias se relaturas pollicitae sunt, perdices quidem vineas fodere ac racemos pulcherrimos reddere, vespae vero, arva circumeundo, suis aculeis fures abigere. At rusticus “Duos,” inquit, “boves habeo, qui licet nihil promittant, omnia tamen mihi optime praestant. Potum itaque praebere melius est illis quam vobis.”

531. Perdix, Gallus, et Venator

Venatori cuidam, dum sibi cenam parabat, amicus repente supervenit. Is vero, cum nullas aves haberet in cavea, nihil enim ea die venatus fuerat, confestim ad perdicem quamdam interficiendam se contulit, quam cicurem fecerat et ad venandum egregie docuerat. Quod ubi illa vidit, ne se occideret exorabat; “Quid enim,” aiebat, “me caesa, tibi retia proderunt, si quando venatum exibis?

Quis tibi avium turmas congregabit?” His auditis, venator perdicem dimisit et ad gallum capiendum se convertit. At ille, ex summo tecti fastigio clamans, “Quomodo posthac,” aiebat, “scire poteris, quantum ortus distet aurorae? Si me horarum indicem neci dederis, quis tibi quae mane sunt facienda commemorabit?” Sed venator “Aptas,” inquit, “venationi tempestates bene cognoscis, attamen aliquid oportet habere, quod amicus meus cenare possit.”

532. Cygnus et Herus Eius

Cygnos aiunt circa mortis tempus canere solere. Quidam igitur, cum in cygnum venalem incidisset eumque simul mansuetum ac mite animal esse audivisset, illico emit. Is deinde, cum convivium aliquando ageret, cygnum, ut caneret, accivit. At ille tunc omnino siluit. Postea vero, cum moriendum sibi esse intellegeret ac flebiliter caneret, “Mehercle,” ei herus ait, “si tu non cantas nisi cum sis moriturus, plane stultus ego fui, quod te ad canendum antea impuli, non occidi.”

533. Olor et Anseres

Pecuniosus quidam, qui anseres haberet domi, emit et olorem, et inter illos aluit; audierat enim suavissimum esse cantum olorinum. Cum autem vellet ad epulas iugulare nocte quadam anserem, ideo enim alebantur, forte cepit olorem, quod tenebrae discrimen inter hunc et illos fieri nullum sinerent. At olor carmen dulcissimum, quod aiunt illos facere solere ubi instare mortem sentiant, accinit, atque ita cognitus servatur.

> *Commendat fabula doctrinam et in primis musica studia, quibus etiam mors ipsa saepe avertatur.*

534. Cygnus et Ciconia

Cygnus, moriens, interrogabatur a ciconia, cur in morte, quam cetera animalia adeo exhorrent, multo suaviores quam in omni vita emitteret sonos, cum potius maestus esse deberet. Cui cygnus “Quia,” inquit, “neque cibi

quaerendi cura amplius cruciabor, neque aucupum laqueos extimescam."

535. Cygnus et Corvus

Cum cygnum vidisset corvus, aemulari colorem voluit. Sed arbitratus e lavacris eum provenire, relictis aris unde nutriebatur, ad lacus et flumina vitam egit. Et cum lavaret quidem corpus, non mutavit; pastu vero destitutus, mortuus est.

Naturam non potest transmutare vivendi genus.

536. Olores et Anseres

Olores et anseres, amici inter se facti, exierant quondam in campos. Quibus coniunctim pascentibus, superveniunt venatores. Olores, corporis celeritate et volatu, tuto evadunt periculum. Anseres autem, natura tardiores, deserti ab amicis, in venatorum incidunt manus.

Haec fabula arguit eos qui amicos suos non adiuvant totis viribus, sed produnt in periculis.

537. Olores et Hirundines

Insultabant oloribus hirundines et exprobrabant solitudinem, canendi imperitiam et inertiam, iactantes se, quod urbes et domos et ipsa cubicula principum penetrarent, diu noctuque suis modulationibus implerent ac mirifice delectarent. Talia effutientes olorum turba perceperat nec responsione dignas iudicabat; unus eorum, "Rarissime quidem," ait, "modulamur et extra urbes in solitudine degimus, quia nec modulationum nostrarum sacra vulgari, nec solitudinis nostrae penetralia temerari, aut nos vulgo committere patimur. Ite igitur a nobis, importunae aviculae! Nos urbes et turbas populares fugimus, ne vestra societate contaminemur; cum vos expulerint, tunc prope civitates et magnatum tecta divina nostra suis numeris absoluta modulamina pangemus."

538. Luscinia et Accipiter

Luscinia, ab accipitre famelico comprehensa, cum se ab eo devorandam intellegeret, blande eum rogabat ut se dimitteret, pollicita pro tanto beneficio ingentem mercedem sese relaturam. Cum autem accipiter eam interrogaret quid gratiae sibi referre posset, “Aures,” inquit, “tuas mellifluis cantibus demulcebo.” “At ego,” inquit accipiter, “malo mihi ventrem demulceas. Sine tuis enim cantibus vivere; sine cibo non possum.”

539. Luscinia, Accipiter, et Auceps

Accipiter, in nidum lusciniae cum sederet, parvos in illo invenit pullos. Supervenit luscinia et rogabat illum parcere pullis. Ait accipiter, “Faciam quod vis, si mihi bene cantaveris.” Luscinia tamen metu pavebat; denique coacta et dolore plena cantavit. Accipiter qui praedam captaverat ait, “Non bene cantasti.” Apprehenditque unum de pullis eius et devorare coepit. Ex diverso venit auceps et, calamo silenter levato, accipitrem, contracto visco, in terram deiecit.

Qui aliis insidiantur, timere debent ne capiantur.

540. Luscinia et Hirundo

Hirundo, praetervolans silvam, audivit aliquando lusciniam cantantem, cuius modulatione delectata constitit et, postquam cantare desiit, his verbis compellat, “Luscinia soror, quid hic solitaria agis in silvis et tam mirabiles concentus ac modulationes inter nemora et feras, dignas auribus regum, prodigis ac proiicis? Linque, linque solitudines ingratas et mutas, et confer te ad urbes et homines.” Cui illa, “Noli meae, soror, felicitatis invidere; scio quid urbes et alae regum et turba hominum pariant molestiarum, quas experta sum. Solitudinem amo, innocentiae custodem et asseclam; hic Deo, hic Angelis, hic mihi meas modulationes canto.”

541. Luscinia et Acanthis

Luscinia et acanthis ante fenestram in caveis inclusae pendebant. Luscinia cantum iucundissimum incipit. Pater filium interrogat utra avis tam suaviter canat, et ostendit ei utramque. Filius statim, “Sine dubio,” inquit, “acanthis ista est, quae sonos illos suavissimos edit; pennas enim habet pulcherrimas.”

Haec fabula eos reprehendit qui homines ex vestibus et forma aestimant.

542. Luscinia et Cicindela

Dum luscinia, super lauro sedens, sonis canoris noctem quondam aestivam mulcet, cicindela ignes suos iactare et gloriari incepit, rata se sidus terrestre esse et sic dictitans. Luscinia admonet, “Nunc cum tenebrae tibi favent, micas quidem lumine aliquo insignis, sed simul lux publica umbram expulerit et te afflaverit, turpicula bestia videberis, qualis es.”

543. Luscinia et Sagittarius

Sagittarius lusciniam capit sed luscinia ait, “Si me occideris, nequaquam tuum ventrem implere valebis; sed, si me dimittere velles, tria tibi mandata darem utilissima.” Ille vero promisit quod eam dimitteret, et illa ait, “Numquam rem, quae apprehendi non potest, apprehendere studeas; de re perdita numquam doleas; verbum incredibile numquam credas.” Ille, ut promiserat, eam dimisit. Luscinia igitur dixit, “Vae tibi! Est enim in visceribus meis margarita quae struthionis ovum sua vincit magnitudine.” Ille, contristatus, eam apprehendere conebatur. Et luscinia, “Nunc pro certo cognovi te fatuum esse, quia de me perdita doles, et me temptasti capere cum nequeas apprehendere, et insuper margaritam tam grandem in visceribus meis esse credidisti, cum ego tota ad magnitudinem ovi struthionis non valeam pertingere.”

544. Pavo et Iuno

Pavo graviter conquerebatur apud Iunonem, dominam suam, quod vocis suavitas sibi negata esset dum luscinia, avis tam parum decora, cantu excellat. Cui Iuno “Et merito,” inquit, “non enim omnia bona in unum conferri oportuit.”

545. Pavo et Miles

Pavo apud militem, qui galeam multis struthionis pennis ornaverat, gloriabatur se multo pulchriores pennas habere, utque id verum esse approbaret, caudam in gyrum explicuit. Miles illarum pulchritudine illectus, avem capiens, eam tanto privavit ornatu conumque galeae insignivit. Tunc secum pavo “Me miserum et stultum,” inquit, “qui tam pretiosas res raptori ostendi, quas occultare debebam.”

546. Pavo Deplumatus

Pavo, inter ceteras aves plumis ornatus et diversis coloribus distinctus, mansuetus et curialis, venit ad congregationem avium. Venit corvus et rogavit quod daret ei pennas duas. Ait pavo, “Quid facies pro me?” Et ait corvus, “Alta voce in curiis coram avibus te laudabo.” Pavo pennas suas ei concessit. Similiter cornix petiit et impetravit; sic cuculus et multae aliae aves, quod pavo totus deplumatus remansit. Debuit pullos suos cum alis protegere; non potuit, quia pennas non habuit. Supervenit frigus et periit. Pulli ab eo recesserunt et prout potuerunt vixerunt.

547. Pavo et Aquila, Disputantes

Aquila se in pulchritudine ceteris avibus praeferebat, cunctis hoc verum esse affirmantibus. Pavo autem secum dicebat, “Non pennae te formosam, sed rostrum et ungues efficiunt, quorum timore nulla ex nobis audet tecum de formositate certare.”

548. Pavo et Grus

Pavo, coram grue pennas suas explicans, “Quanta est,” inquit, “formositas mea et tua deformitas!” At grus, evolans, “Et quanta est,” inquit, “levitas mea et tua tarditas!”

549. Psittacus Honoratus

Psittacus, in aula regis degens, interrogabatur a ceteris avibus quid ita in magno haberetur honore. Quibus ille, “Quia,” inquit, “exprimendi humanas voces artem edoctus sum.”

> *Fabula nos admonet ut bonas et liberales ediscamus artes, si volumus ubique clari honorabilesque haberi.*

550. Psittacus et Turtur

Psittacus, ex oriente in occidentem delatus, ubi huiusmodi aves nasci non consueverunt, admirabatur sese in maiori pretio et honore haberi quam in natali consuevisset solo, nam caveam eburneam argenteis contextam virgis incolebat suavissimisque alebatur cibis, quod ceteris avibus occidentalibus, quae neque in forma, neque exprimendis humanis vocibus erant inferiores, non contingebat. Tunc turtur, in eadem cavea conclusus, “Hoc,” inquit, “nulla est admiratione dignum; nulli enim in patria meritus honor exhiberi solet.”

551. Psittacus et Dives

Vir nobilis psittacum emerat, probe educatum, praenitentem corpore ac bene valentem. Hunc atriensi curandum dedit, at ille totum id negotii reiicit ad ianitorem, ianitor ad topiarium, topiarius demum ad inertes pedisequos, qui, flocci aestimantes satis necne herili psittaco fiat, illum saepe et saepius cibique potusque indigentem negligunt. Adiguntque ut gemat, pristinam sortem recolens, et dicat, “Quanto mihi beatior vita erat sub casa paupere heri prioris! Dapes quas naturae meae convenire scisset, caute eligebat, sedulo

praeparabat, et copiose largiebatur. Ille quidem solus altor mihi, sed optimus. Nunc in nobilis huiusce domo superba, ubi credidi sortem mihi meliorem fore, vita mea servis plurimis commendatur et interea, miser, fame longa conficior.”

Si benefaciendi curam idoneus unus susceperit, praestat multitudini.

552. Acanthis et Pica

Sola loquacitas sua picam futilem domino fecerat iucundam amabilemque. Illa, clangoribus procacibus perstrepens, modo omnem familiam obiurgabat, modo potum aut cibum sibi darent postulabat, et statim, quidquid vellet, habebat affatim. Acanthis, quae in domo eadem latebat, sonos canoros tantum fundere didicerat; solitudinem suam cantu mulcens durabat, omni querimonia se abstinens, nec dignabatur quidpiam postulare. Interdum familia et dominus ipse, ad eius lene et argutum melos attenti, aurium operam dicabant et magnis laudibus delicias musicas ultro remunerabant, sed alia munera raro impertiebant. Ergo, avis misella victibus quibus spiritum etiam sustineret saepe caruit, et elanguit ac denique periit fame.

553. Gallus et Ancillae

Anus quaedam domi habebat complures ancillas quas quotidie, antequam lucesceret, ad galli gallinacei (quem domi alebat) cantum excitabat ad opus. Ancillae tandem, quotidiani negotii commotae taedio, gallum obtruncant, sperantes iam, necato illo, sese in medios dormituras dies. Sed haec spes miseras frustrata est. Hera enim, ut interemptum gallum rescivit, ancillas intempesta nocte surgere deinceps iubet.

554. Gallus et Fures

Fures, qui se per ruinosum parietem in aedes quasdam insinuassent, cum quod auferre possent nihil reperirent,

gallum forte strepentem et cantantem comprehendunt et secum asportant. Quem iugulaturi, orantur ab eo sibi ut parcant, suum enim cantum utilem hominibus esse, quos excitet de somno ad opera et laborem. Tum fures “Eo libentius,” inquiunt, “te occiderimus, qui eos suscites quorum vigilantia obstet conatibus nostris.”

555. Gallus et Gemma

Gallus gallinaceus, dum armato pede sterquilinium dissipando disiicit, invenit gemmam, “Quid,” inquiens, “rem tam fulgurantem reperio? Si gemmarius invenisset, laetabundus exsultaret, quippe qui scivit pretium. Mihi quidem nulli est usui nec magni aestimo. Unum etenim hordei granum est mihi longe pretiosius quam omnes gemmae, quamvis ad invidiam micent diei opprobriumque solis.”

556. Gallus et Feles Lecticarii

Gallus lecticarios feles habebat. Vulpes, ut vidit hunc gloriose vehi, sic est locuta, “Moneo dolum praecaveas, namque si vultus istorum consideres, iudices praedam portare, non sarcinam.” Postquam esurire coepit societas felum, dominum discerpsit et funeris partes fecit.

557. Gallus Callidus et Vulpes

Vulpes, rustici laqueis cuius plurimas gallinas occiderat capta, rogavit gallum, a quo solo visa fuerat, ut aut cultellum quo laqueum scinderet sibi afferret, aut hero nihil diceret quoad dentibus laqueum abrupisset. Gallus, utrumque pollicitus, dominum propere adiens, narrat vulpem casse detineri. Quem, clava armatum, ad se perdendum venientem vulpes conspicata, “Infelix,” inquit, “et stulta ego, quae credidi gallum mihi fidum fore, cuius tot uxores occideram.”

558. Gallus Capellanus et Vulpes

Vulpes esuriens veniebat ad gallinariam. Fingebat se graviter infirmatam et confiteri velle, rogans ut gallus, capellanus suus, exiret et audiret confessionem suam. “Si sine confessione moriar,” ait, “in periculum vestrum erit.” Et gallus, “Fraudulenta es et malitiosa, et ideo timidus sum.” Et vulpes, “Heu! Ubi est caritas, cum deficiat in sacerdote?” Gallus intremuit et dixit gallinae uxori suae, “Oportet omnino quod exeam.” Cui illa, “Domine, nullo modo; multum deceptuosa est, et nescitur ad quem finem tendit.” Et gallus, “Tamquam una de stultis mulieribus locuta es! Nonne mihi cura animae eius tradita est? Nonne respondebo pro ea?” Et surgens induxit eam in domum ad locum secretum ut audiret eius confessionem, et vulpes, gallum sumens per collum, strangulavit et asportavit ad silvam.

559. Gallus Divinus et Vulpes

Famelica vulpes ad arborem, super qua gallus consederat, accedens, exquisitis laudibus illum extollit et divinationis atque praedictionum nomine in primis, “Atque utinam,” inquit, “ea felicitas sit mea, tam eximii vatis caput ut osculari mihi concedatur.” Gallus hanc laudatori suo gratiam referre volens et praebere caput illi osculandum suum, de arbore devolat ad vulpem. Quae illum praehensum asportabat in silvas et deridebat, quod vate isto et divino nihil insipientius neque vecordius umquam se vidisse diceret.

560. Gallus, Canis, et Vulpes

Canis et gallus, iuncta simul amicitia, una iter faciebant. Nocte autem adventante, cum in locum quemdam arboribus consitum pervenissent, gallus, arbore adscensa, in illius ramis consedit; canis vero, in cavo eiusdem ingressus, inferius recubuit. Nocte interim ad occasum vergente, ubi dies albescere coepit, gallus de more cantare incipit. Quem cum vulpes audisset, illuc protinus, eum vorare cupiens, accessit, stansque sub arbore, ita ipsum

est adlocuta, “O avis optime, quam perutilis es hominibus! Descende, quaeso, ut simul carmina nocturna canamus, nosque ad invicem oblectemur.” Cui gallus respondens, “Amica,” inquit, “ad radices arboris propius accede, pulsa truncum, ac ianitorem voca.” Persuasa vulpes ad eum vocandum, accessit. Sed canis, repente prosiliens, eam protinus correptam dilaceravit.

561. Gallus, Gallinae, et Vulpes

Vulpes, esuriens et algens, venit ad gallinarium, et rogavit gallinas quod aperirent ei. Et dixerunt, “Nolumus aperire, quia es inimicus noster et semper nobis nocuisti.” Et ait, “Nihil mali vobis faciam, et hoc per omnes sanctos iuro vobis.” Dixerunt gallinae, “Non credimus tibi.” Dixit vulpes, “Bene potestis credere, quod iam fame et frigore confecta debeo vitam terminare et, si mortua fuero, imputabit vobis Deus.” Gallus et gallinae, pietate ducti, ostium aperuerunt. Vulpes intravit et parum quievit. Et, calefacta tandem, promissione oblita, cepit unam gallinam, interfecit, comedit, postea aliam, et omnes turbavit.

562. Galli Duo Certantes

Duo inter se certarant galli gallinacei. Alter, victus, in remoto loco se occultaverat. Alter, victoria potitus, fastigium tecti occupaverat. Ibi cum se, victoria elatus, insolenter iactaret, aquila delapsa sursum illum secum rapuit.

> *Hoc argumento cognoscitur neminem Fortunae et viribus nimis credere aut stulte superbire debere.*

563. Galli Inter Se Pugnantes

Galli duo, ut eorum mos est, inter se de ducatu gallinarum acerrime certabant. Qui superior in pugna fuerat, alarum plausu vocisque cantu se victorem fuisse significans, Venere et otio emarcuit. Victus autem, a conspectu gallinarum profugiens, cum cornicibus et

pavonibus sese quotidie pugnando exercebat; inferendi vitandique ictus artem ediscebat. Qui, ubi se satis instructum vidit, rediens, adversarium ad pugnam provocatum nullo negotio superavit.

564. Gallina et Ova Serpentis

Gallina reperta ova serpentis coepit studiose incubando fovere ut pullos excluderet. Hoc agentem conspicata, hirundo “Stulta!” inquit; “cur in hoc fetu educando operam ponis, qui eductus in te primum omnium iniuriosus est futurus?”

565. Gallina Ovis Incubans et Vulpes

Vulpes rustici cuiusdam domum ingressa, reperit in nido gallinam, ovis incubantem, quae eam rogabat, dicens, “Ne me, obsecro, in praesentia occidas macilentam. Exspecta paululum, dum pulli mihi nascantur, quos ut tenellos absque dentium dolore esse poteris.” Tunc vulpes “Non essem,” inquit, “inter vulpes numeranda, si nunc esuriens, spe pullorum, qui nondum nati sunt, paratum omittere cibum. Dentes validos gero, qui quamlibet durissimam carnem molere consueverunt.” Haec dicens, gallinam devoravit.

566. Gallus Vulpinam Pellem Fugiens

Gallus, a vulpe captus, magna difficultate illius manus evaserat. Hic paulo post, visa vulpis pelle, vehementer territus fugiebat. Qui, cum a ceteris irrideretur avibus quod inani timore concuteretur, “Si inter vulpis ungues ut ego,” inquit, “fuissetis, pedum vestigia, nedum pellem illius, timeretis.”

567. Gallinae Pulli et Milvus

Gallina frequenter colligit pullos sub ala sua, praecipue contra milvum. Venit semel milvus volitans super pullos suos, et illa vocavit eos. Venerunt sub alas, excepto uno

qui invenit vermiculum et beccavit super ipsum ut comederet. Interim venit milvus, et illum pullum rapuit.

568. Gallina Plumis Spoliata

Vulpes famelica gallinam rapuerat et plus media plumarum parte iam spoliaverat. Canis facinus advertit, accurrit, irruit, et praedam e dentibus avidis extorquet. Gallina, male mulcata, cum ad suam gentem rediret, “O sorores,” inquit, “quam parum abfuit quin dira nece vobis eriperer! Hinc forte in agros paululum diverteram; vulpes scelerata me necopinantem rapit, et ni canis validus succurreret, me miseram vorasset.” Et infortunium suum recens renarrat, misericordiam dulcem excitare cupiens. Sed illae contra clamitant, sic glocientes, “Fuge hinc, inepta, cum tuis querimoniis, et apud aves deplumes locum tibi quaere. Si misera es, ipsa tibi malum advocasti moribus indoctis tuis.” Cumque ea parumper renueret, ferociunt; rostris saevis abigunt et foras extrudunt.

Ubi est calamitas, ibi culpa esse creditur.

569. Gallina Scalpens

Deis deabusque praesentibus, Iuno laudabat castitatem; persuadebat melius esse ut femina uni viro esset coniuncta proprioque suo sufficeret. At Venus, iocandi causa, interposuit dicta gallinarum. Cum interrogaret patientem et taciturnam domesticam suam gallinam quanto posset satiari cibo, illa dixit, “Quodcumque accepero abundat mihi, et econtra scalpo.” Venus econtra huic gallinae dicitur coram ipsis dixisse, “Ne scalpes, do modium tritici.” At gallina sic ait Veneri, “Si horreum mihi patefacias, tamen scalpo.” Ubi risisse dicitur Iuno dictum Veneris a gallina, per quam agnoverunt dii feminis fieri similia. Sic deinde Iuppiter multas coepit adire feminas, nulla se importuno negavit. Deinde et Venus cum Marte et Vulcano. Et, ut potuerunt, ceterae multae.

570. Capones et Coquus

Vir quidam complures capones, in eodem ornithobosco inclusos, largo nutricaverat cibo, qui pingues effecti sunt omnes praeter unum, quem ut macilentum irridebant fratres. Dominus, nobiles hospites lauto et sumptuoso accepturus convivio, imperat coquo ut ex his interimat coquatque quos pinguiores invenerit. Hoc audientes, corpulenti sese afflictabant, dicentes, “Quanto praestitisset nos macilentos esse.”

571. Anser et Ova Aurea

Anus quaedam anserem alebat, quae illi quotidie ovum aureum excludebat. Anus avarissima, existimans anserem habuisse in visceribus fodinam auream, cupiditate commota, anserem confestim interfecit et, cum viscera perscrutabatur et unicum tantum ovum deprehenderat, spe sublactata inani, exclamabat, “O me infelicem, tantae crudelitatis consciam, quae, non modico contenta lucro, iam omnia perdiderim.”

572. Anser et Lupus

Hieme quaerebat escam lupus et, anserem nactus, in silvas devoraturus hunc asportavit. Qui, videns de se esse actum nisi consilium callidum excogitaret quo eriperetur e dentibus saevissimae bestiae, valde orat lupum, quoniam sibi moriendum esset, mediocriter se delectari, sine quidem incommodo ipsius ac molestia, pateretur, minus postea graviter mortem ut ferret. Lupus iubet petere quid concedi sibi velit. Tum ille respondit choream se cupere agitare, quam ipse ducat. Lupus, qui nihil fraudis metueret, “Age,” inquit, “fiat,” et, laevae alae pennam eminentiorem praehendens, cum ansere saltare coepit. At hic, occasione fugae oblata, relicta penna in ore lupi, avolavit. Lupus, cum gemitu, avolantem prosequens, “Me miserum,” inquit, “non oportuit saltare ieiunum.”

573. Anser, Ciconia, et Accipiter

Ciconia, dum ad solitum devenisset stagnum, invenit anserem se creberrimis mergentem undis. Inquirit ab ea cur hoc faceret. Respondit, “Consuetudo nobis est. Nam escam in limo reperimus, et accipitris impetum ad nos venientis sic evadimus.” Cui ciconia, “Sum accipitre ipsa fortior. Sed tene amicitiam mecum, et faciam te illi insultare.” Credidit, et protinus eius petivit auxilium. Quae dum cum illa foras in agrum exiret, illico accipiter supervenit et comprehensum anserem unguibus devoravit. Cui anser econtra, “Qui se tam flebili patrono coniungit, peiori nece finiri debet.”

574. Anser et Gressus Eius

Non placebat matri anserculi sui gressus. Docebat igitur ac praecipiebat illi primum, ne, in latus utrumque nutando quasi claudicaret, ita ingrederetur. Pullus, cum hoc tentaret neque succederet res, ramusculos alligat ad cruscula, quibus sustentatus ingrederetur aequabilius, sed illi procumbere in lacunulas et natitare volentem impediebant. Tum mater “Caput saltem,” inquit, “teneto.” Ille, erecto collo, caput sursum immobile tenens, ad obvia quaeque offendebat, cum oculi non prospicerent sed suspicerent. Tum mater “At tu,” inquit, “et pedibus et capite sic utere, ut maiores omnes tui usi fuere.”

575. Anseres et Anus

Anus olim, quae nuper rus ex urbe venerat, cerasorum modium in vino coxit. Quod autem hunc cibum famuli edere noluerunt, anus omnia anseribus comedenda foras abiecit. Mox ancilla accurrit exclamans, “Huc cito, domina mea, festina. Anseres mortui sunt. Ecce: humi exanimes sternuntur.” “Me miseram!” anus inquit. “Quid faciam? Plumas saltem ex avibus vellite, ne eas quoque perdamus.” Itaque plumae sine mora avelluntur. Postridie tamen prima luce ancilla dominam e lecto excitavit. Horribile dictu: anseres in vitam restituti huc illuc sine plumis palabantur. Nam ebrii tantum vino facti

erant, non mortui. “Heu, quid miserrimae aves facient?” anus exclamat. “Nonne plumis nudatae frigore necabuntur?” Ergo benevola anus tunicas avibus e rubro pallio fecit, et mox anseres rubris tunicis induti ruricolarum cachinnos commoverunt.

576. Aves et Auceps Lippus

Dum harundines construit et spargit escam auceps, lippientibus et stillantibus oculis, aviculae, ita illum erga se animum gerere clementem et mansuetum ratae, advolant propius et aliquae visco inhaerentes capiuntur. Quas videntes reliquae aucupis morsu praefocari et in sportellam coniici, avolantes, “Heu quam fallaces lacrimae sunt istae,” inquiunt, “quae mortem attulere sociis nostris.”

Fabula monet ut caveamus, ne composita specie et ficta bonitate decipiamur.

577. Avis Solitaria

Avis quaedam, procul ab omni consuetudine, dies placidos agebat. Sed taedium tamen solitariae vitae sensit et migrat. In turbam corvorum incidit, quos discordiarum furor perpetuus agitat, edacitate percitos. Avis pacifica vix potest tale contubernium sustinere et refugit. Hinc ad gregem aquilarum contendit, quae nobilibus artibus se devoverunt, sed ambitio et crudelitas eas patrare suadent omne criminum genus. Avis modesta exhorruit et recessit. Paulo post in valle reducta audit sonos arte musica modulatos et gaudet reperisse aves studio canendi deditas. At dissensio misera eas perturbat. Immodicus laudis amor omnes tenet et macerat; hinc livor et simultas et calumnia saeviunt luctumque spargunt. Avis benigna gemit et “Repetamus,” inquit, “nostram solitudinem.”

Bonum quod cupimus in nostro sinu gerimus, alibique frustra quaeritur felicitas.

578. Pisces et Quadrupedes

Quadrupedes, cum bellum sibi ab avibus esset indictum, cum piscibus foedus inierunt ut, eorum auxilio, se ab avium furore tuerentur. Cum autem optata exspectarent auxilia, pisces negant se per terram ad eos accedere posse.

Haec nos admonet fabula ne eos nobis socios faciamus, qui, cum opus sit, nobis adesse non possint.

579. Pisces e Sartagine Exsilientes

Pisces, adhuc vivi, in sartagine ferventi oleo coquebantur. Quorum unus “Fugiamus hinc, fratres,” inquit, “ne pereamus.” Tunc omnes, pariter e sartagine exsilientes, in ardentes prunas deciderunt. Maiori igitur dolore affecti, damnabant consilium quod ceperant, dicentes, “Quanto atrociori nunc morte perimus.”

580. Pisciculus et Piscator

Piscator, iactis retibus, pisciculum tantummodo traxit. Qui cum parvulus esset, eum supplex rogabat, aiens, “Ne nunc, quaeso, me capias, sed potius, quandoquidem sum tam parvus, relinque. Postquam autem crevero ac maior ero, tunc me comprehendes tibique maiorem quoque utilitatem feram.” Ad haec autem piscator ait, “Ast ego profecto stultus essem, si, quod manibus habeo, quamvis sit leve, lucrum abiecerim ac illud persequi vellem quod, magnum sit licet, in incerta spe tamen omnino consistit.”

581. Pisces, Magni et Minuti

Piscator sagenam, quam recens iecerat, extraxit. Obsonii autem erat varii referta. Ast piscium minutus quisque effugit in altum, e rete clam elapsus multiforo, dum captivus quicumque magnus in navicula iacuit extentus.

Salus fit quodammodo et malorum effugium parvitas; qui autem magnus est opinione vulgi, eum raro videbis periculum effugere.

582. Crocodilus et Canis

Canes currendo bibunt ex Nilo flumine, ne rapiantur a crocodillis. Rapidius igitur currens ex Nilo cum bibere coepisset canis, dixit ei crocodillus, “Quod libet labio tuo, noli vereri.” Respondit, “Facerem quod dicis, nisi esse te scirem carnis meae cupidum.”

583. Crocodili Ova et Gallina

Gallina olim ova crocodili reperit et incubavit dum fetus excluderet. At illi vix vita frui incoeperunt, morsibus diris altricem enecarunt.

Quisquis malos educat, malum sibi fovet.

584. Crocodilus et Homicida

Caedem quidam fecerat, eumque propterea hominis interfecti cognati persequebantur. Ad Nilum itaque cum pervenisset, leonem obvium videns ac timore correptus, in arborem adscendit. Ibi vero cum anguem summis in ramis delitescentem invenisset, novo metu perculsus, se in flumen proiecit, ibique a crocodilo devoratus est.

Fabula significat quod nec terra, nec aer, neque ipsum aquae elementum, nullus denique locus homicidas defendit.

585. Crocodilus et Tigris

Quidam viator, dum iter carperet in calle angustissimo inter rupem arduam et Gangis crepidinem, tigrim efferam huc irruentem adspexit. Gradum retro ferre vult, at etiam crocodilus furens ab hac parte accurrit. Videt ergo se miserum neci geminae expositum, et hinc et illinc pariter. Nulla via utramvis beluam effugere potest, et tigris iam ungues exerebat, in praedam involare parans. Ecce autem

crocodilus pernix simul eodem advenit et, omisso homine, dentibus ferratis hanc mediam apprehendit et sub aquas secum rapit. Et qui duplex malum timuit, neutrum subit.

> *Haec narratio vera ostendit periculum duplex aliquando minus simplice nocere.*

586. Cancer et Filius Eius

Cancer dicebat filio, “Mi fili, ne sic obliquis semper gressibus incede, sed recta via perge.” Cui ille “Mi pater,” respondit, “libenter tuis praeceptis obsequar, si te prius idem facientem videro.”

587. Cancer et Serpens

Serpens una cum cancro societate iuncta vivebat. Porro cancer, cum simplex moribus esset, serpentem ut is quoque astutiam suam exueret admonebat. At ille minime obsequebatur. Cancer itaque, cum dormientem vidisset, quanta vi poterat compressum chelis occidit. Serpens ita necatus, cum humi porrectus iaceret, “Hoc modo,” cancer ait, “et rectum et simplicem antea te esse oportebat; non enim hanc poenam dedisses.”

588. Cancer et Vulpes

Cancer, egressus e mari, quodam in loco pascebatur. Vulpes, esuriens, eum conspicata, accedens arripuit. Tum is, cum devorandus iam esset, “Merito,” inquit, “haec patior, qui marinus cum sim, terrestris esse volui.”

589. Cancri et Asinus

Asinus, cadens in lutum, coepit eiulans clamare pro eo quod non poterat egredi. Cui cancri dixerunt, “Quare plangis? Cum nos, qui longe ante cecidimus in lutum, minime plangamus.”

590. Ostreum et Mus

Mus, penus regnator et mensae herilis arrosor, ostrea vidit, labris summis hiulca. Quibus teneram barbam suam apponens, mus falsa ossa momordit. Ast tacta, repente domum clauserunt et furem tenuerunt, carcere taetro deprensum, qui semet dederat in tumulum obscurum.

591. Ostreum et Aquae Gutta

Tenuis gutta, cum in vastos ponti sinus devolveretur, ab aethere alto cadens, "Heu, ego tantula," inquit, "quid voragini tantae prodesse possum, primo fluctu scilicet exhaurienda et funditus interitura?" Dum gutta sic misella sortem suam deprimit, ostreum, ore patulo dehiscens, summis undis emergit et hanc delapsam excipit, penitus recondit, et induratam perficit. Quae gutta fuerat, exstitit demum unio, ac deinde ad illud honoris fastigium evectus est ut regis caput ornaret.

Qui se fatentur humiles, extollit Deus.

592. Ostreae et Naufragi

Fractae navis tabula homines naufragos duos ad rupem inhospitalem detulerat. Illi, cum statim aliquid edule perquisissent, nil prorsus invenere praeter ostreas. Unam alteramque postquam vexarunt diu, tandem recludunt at, ubi foeda dapis species oculis hiantibus patuit, exhorruerunt ambo. Tunc se ope omni destitutos iudicantes, mortem denique exspectant. Mox unus elanguescit, in solo decumbit, et perit. Alter, ostream quam abiecerat repetit, anxie considerat, et nauseabundus demum sorptam vorat. At illa intimos stomachi recessus subit et simul hominis sensus inertes recreat. "O suavitas!" exclamat, et undique ostreas capessit et dividit et abligurit, usque eo debilis ventriculus officio suo fungi neget, impeditus videlicet copia nimia. Invalescit et corporis compago brevi dissolvitur.

Idem saepe mortales abstinentes, idem saepe intemperantes in exitium ruunt.

593. Ostrea et Litigatores

Viatores duo quondam in litore ostream invenerunt. Quam cum oculis iam vorarent digitisque in vicem sibi monstrarent, ortum est certamen. Alterum enim, dum ad praedam capiendam se demittit, detrusit alter, et his quidem verbis, “Quam qui primus vidit,” inquit, “is profecto edet; alter testis erit.” Tum ille, “Quod si,” inquit, “ita res diiudicanda est, dis gratias ago, quod optimus mihi oculus est.” “Ne mihi quidem pessimus; peream, nisi hanc ante vidi quam tu.” “Tu quidem oculo, ego naribus eam sensi.” Haec cum ita agerent, adest tertius, quem arbitrum fecerunt. Is igitur ostream primum aperuit, tum, spectantibus illis, gravis ac severus absorbuit. Pransus inde, “Iudices,” inquit, “utrique vestrum testam sine impensa attribuunt. Proinde in gratiam reducti domum suam uterque redeatis.”

594. Delphinus et Simius

Quidam maritimum iter aggressus, simium secum assumpsit. Cum ad Sunium, Atticae promontorium, pervenissent, tempestas ingens oborta est. Cuius impetu nave diffracta, natantibus omnibus, simius quoque natabat. Delphinus quidam interim, eum conspicatus et hominem ratus esse, protinus accedens, suum supra dorsum excepit ut salvum ad terram portaret. Ast ubi prope Piraeeum, Atheniensium navale, fuit, delphinus simium rogare coepit an genere esset Atheniensis. Id illo affirmante ac praeterea se claros apud illos habuisse parentes, eum rursus an etiam Piraeeum nosceret interrogavit. Tum simius, ipsum de homine loqui arbitratus, se maxima familiaritate cum eo iunctum esse respondit. At delphinus, tanto mendacio indignatus, excussum humeris simium in undis demersit.

Haec eos fabula carpit qui, veritatis ignari, alios decipere posse arbitrantur.

595. Delphinus et Pisciculus

Persequebatur pisciculum delphinus. Hunc ut vitaret, pisciculus ad rupem confugit. Quem ut captaret, delphinus tam violento sequebatur impetu ut arenis illideret et, haerens, morti succumberet. Quod cum vidisset pisciculus, sibi paululum consolatus est, moribundulus, inquiens, "Dulcior mihi profecto mea mors futura est, quod prius auctorem meae mortis defunctum prae oculis viderim."

596. Delphinus et Piscis Nomine Lupus

Lupus piscis erat in amne quodam qui pulchritudine, magnitudine, ac robore ceteros eiusdem fluvii pisces excedebat. Unde cuncti eum admirabantur et tamquam regem praecipuo prosequebantur honore. Quare in superbiam elatus, maiorem principatum coepit appetere. Relicto igitur amne in quo multos annos regnaverat, ingressus est mare ut eius regnum sibi vendicaret. Sed, offendens delphinum mirae magnitudinis qui in illo regnabat, ita ab illo insectatus est ut aufugiens vix amnis ostium ingrederetur, unde amplius non est ausus exire.

> *Haec fabula nos admonet ut, rebus nostris contenti, ea non appetamus quae nostris viribus sunt longe maiora.*

597. Delphinus et Leo

Leo, iuxta litus quoddam oberrans, cum delphinum summis elatum undis vidisset, eum ad societatem secum ineundam hortatus est, se maxime amicos strenuosque auxiliatores invicem fore aiens, quod ille quidem aquatilibus, ipse terrestribus animantibus imperaret. Delphinus libenter annuit et societatem iungit. Cum vero, haud multo post tempore, pugnam contra silvestrem taurum leo esset initurus, delphinum in auxilium vocavit. Sed ille, quamvis maxime vellet et niteretur, cum e mari exsilire non posset, leo ut proditorem acriter obiurgavit. At delphinus respondens, "Nec me," ait, "incuses, sed

Naturam, quae me marinum cum crearit, in terram egredi non sinit."

Oportet nos etiam, dum amicitiam inimus, tales socios deligere qui nobis in periculis adesse possint.

598. Delphini et Balaenae

Delphini et balaenae inter se pugnabant. Pugna vero cum magis magisque incalesceret, pisciculus quidam caput extulit undis eosque reconciliare inter sese conabatur. At quidam ex delphinis eum interpellans, "Profecto," inquit, "tolerabilius est nobis mutuis vulneribus occumbere quam te pacis auctorem habere."

599. Rana et Bos

Rana, cupida aequandi bovem, se distendebat. Filius hortabatur matrem coepto desistere, dicens nihil enim esse ranam ad bovem. Illa autem, posthabito consilio, secundum intumuit. Clamitat natus, "Crepes licet, mater, bovem numquam vinces." Tertium autem cum intumuisset, crepuit.

600. Rana et Leo

Ranam magna vi crocitantem cum leo olim audisset, ad eam vocem protinus sese convertit, magnum aliquod animal esse arbitratus. Paulisper itaque cum substitisset, ubi illam ex palude prodeuntem adspexit, accedens illico proculcavit, haec intra se aiens, "Neminem, re nondum perspecta, vox audita conturbet; nec quispiam, antequam viderit, ab ullo deterreatur."

601. Rana et Vulpes

Rana, paludibus valedicens, novo vivendi genere acquisito, in silvam gloriabunda sese tulit et, bestiarum coronis circumstipata, medicinae artem publice profitebatur et in herbis quae ad corpora curanda pertinent nobiliorem se vel Galeno vel Hippocrate esse clamitabat. Credula

bestiarum gens fidem facile adhibebat, vulpe solummodo excepta. Quae sic glorianti irridebat, “Insulsum vagumque animal! Quid tam vana blatteras? Quid artem nobilem prae te fers, quam minime calles? Livida pallidaque illa tua labra respice! Quin domi abi et teipsum cura, medice! Deinde ad nos redeas, meliora forsan de te speraturos.” Nihil respondente rana sed tacitis secum gemente suspiriis, tota bestiarum cachinnis resonabat silva.

602. Rana et Mus, Amici

Muri, in ostio molendini residenti, supervenit rana et rogavit ut ipsam hospitio suo colligeret. Cui mus respondit benigne et apposuit ei farinam. Sed cum potus diu exspectatus non venit, rana, potibus assueta, tristis resedit. Muri dixit quod si secum vellet ad sua transire, ipsa sibi vicem reddere vellet. Sic venerunt ad fluvium et rana muri ait, “Hic transeunda est nobis aqua. Si fessus es, ego iuvabo te ne in aqua deficias; filum nobis alligabimus, tu in collo, et ego in pede meo.” Tunc rana, sponte se mergens, muri machinata est naufragium. Sed aquila forte aderat et murem unguibus arripit, similiter trahens ranam annexam, quae sic fertur locuta fuisse, “Qui socio suo parat opprobrium, non immerito cadit in laqueum.”

603. Rana et Hydrus

Hydrus in quadam palude ranam persequebatur. Quem cum illa evadere non posset, conversa dicebat, “Ne me devora, hydre, quae nulli umquam nocui.” Cui hydrus “Clamor tuus,” inquit, “minaeque, quibus die noctuque obstrepis, te maleficum animal esse testantur. Quod autem non noceas, impotentia causa est; dentes enim non habes.”

604. Rana, Ciconia, et Lacerta

Rana a colubro perniciem sibi valde timebat. At ciconia interim colubrum in pratulo dormientem videt; devolat et

ipsum vorat. Rana omnia adspicit et, causa sui rem peragi putans, ciconiam adire properat, ut gratias persolvat et ipsi in clientelam se conferat. Sed forte obviam habet lacertam, quae admonet, “Quod credis, O soror, hanc avem magnam et potentem bene tibi voluisse, falleris multum. Verum unice id expetebat, scilicet praedam sibi occurrere qua famem explere posset. Quod si praeda, quam nunc depascitur, inventa non fuisset, famelica procul dubio ad genus meum vel tuum se vertisset.” Lacerta vix finierat, rana tremens se sustulit nec subsilire destitit donec lacum attigit et imo vado se recondidit.

Potentes, si forte infirmis prosint, sola sua utilitas movet.

605. Ranae et Iuppiter

Ranae olim clamore magno regem petierunt a Iove. Ridet Pater Deorum atque magnum truncum e caelo in paludem deiicit. Subito motu aquarum sonoque perterritae, mergunt et latent in limo. Forte una profert e stagno caput et, explorato rege, cunctas evocat. Illae, timore posito, adnatant; mox petulans turba in truncum insilit. Alium regem postulant, quoniam inutilis esset qui fuerat datus. Tum Iuppiter misit ciconiam. Ea uno die magnum ranarum numerum dilacerat, iugulat, vivas alias devorat. Reliquae, mersae, lugent, flent, orant ut ab hac calamitate liberentur. Sed Deum non movent querelae ac lacrimae. “Benignum,” inquit, “et placidum regem non tulistis; iam ferum et barbarum fertote!”

Minus perferte, maius ne veniat malum.

606. Ranae et Puer

Lascivus puer, ad stagnum conspicatus ranas exerentes capitula de aquis, per lusum saxis illas appetebat deque illis iugulabat multas. Tum una, “Iste quidem puer,” inquit, “ut videtis, ludit; nostrae autem sorores moriuntur.”

607. Ranae et Sol

Ranae laetabantur cum nuntiatum esset Solem uxorem duxisse. Sed una, ceteris prudentior, “O vos stolidos,” inquit, “nonne meministis quantopere vos saepe unius Solis aestus excruciet? Quid igitur fiet, cum liberos etiam procreaverit?”

608. Ranae et Taurorum Proelia

Rana, e palude pugnam taurorum intuens, “Heu,” ait, “quanta nobis instat pernicies!” Interrogata ab alia cur hoc diceret, cum boves de gregis principatu certarent longeque ab ipsis degerent vitam, “Sit statio separata,” inquit, “ac diversum genus, qui expulsus nemoris regno profugerit, in secreta paludis latibula veniet et proculcatas pede duro obteret. Ita furor illorum caput ad nostrum pertinet.”

Humiles laborant ubi potentes dissident.

609. Ranae et Ovis

Ovis incauta, cum gramen in paludis margine carperet, vestigium terra lubrica fallente, subito in undam decidit et limo praepedita haesit. Mox tamen sese expedire quaerit et conamine, quanto potest, inter ulvas putres se movet coenumque pedibus excitatum dissipat. Ranae indignantes, “Quid sic,” inquiunt, “regna nostra et virides domos turbare pergis? Quid cogitas, inepta et indocilis pecus? Quin conquiescis? Te negas videlicet habitare posse in hoc lacu, at certe nimis delicata es. Nos natae sumus in ipso, et vivimus contentae.” Bidens respondet, “Regna haec sordida, fateor, volo relinquere. Ignoscite tamen; nata in ipsis non fui.”

Fabula hos notat qui graviter ferunt ea aliis displicere quae sibi in primis placent.

610. Ranae Duae Vicinae

Ranae duae vicina loca incolebant, altera paludem profundam, altera lacunulam iuxta viam in qua modicum aquae substiterat. Tum illa paludis inhabitatrix hortabatur alteram ad se ut commigraret, ubi multo tutiorem vitam degere liceret. Haec vero negabat se posse avelli a consueto domicilio atque loco. Paulo post, eam nihil metuentem plaustri rotae contriverunt.

611. Ranae Duae et Puteus

Ranae duae in palude quadam degebant. Aestivis autem diebus cum arefacta palus esset, ea relicta, sibi aliam quaesiverunt. Nec longius progressae, profundum puteum invenere. Altera itaque, ut eo una descenderent, proponebat; sed altera “Verum,” inquit, “si hic etiam aqua defecerit, quonam pacto remeare poterimus?”

612. Bufo et Rana

Bufo, qui habitat in terra, rogavit ranam, quae habitat in flumine, quod daret ei de aqua ad potandum. Ait rana, “Placet,” et dedit ei quantum volebat. Rana esuriens rogavit quod daret ei de terra. Respondit bufo, “Certe nihil dabo, quia ego ipse, timens ne deficiat, non comedo ad sufficientiam.”

> *Sic sunt plerique in tantum tenaces, quod exspectant quod panes sint muscidi, bacones rancidi, pastilli sint putridi; nec possunt manducare nec pro Deo dare; timent quod terra eis deficiat.*

613. Bufo et Filius Eius

Animalia celebraverunt concilium. Bufo misit illuc filium suum, sed oblitus est sotulares novos. Quaesivit bufo animal velox quod posset ad concilium accelerare. Leporem vocavit et, mercede constituta, dixit ei quod deferret sotulares novos filio suo. Respondit lepus, “Quomodo potero discernere filium tuum in concilio?” Dixit bufo, “Ille qui pulcherrimus est inter omnia animalia

est filius meus.” Dixit lepus, “Numquid pavo est filius tuus?” Respondit, “Nequaquam, quoniam pavo turpes habet pedes.” Dixit lepus, “Qualis est igitur filius tuus?” Et dixit bufo, “Qui tale habet caput quale est meum, talem ventrem, tales tibias, tales pedes, ille pulcher filius meus; illi deferas sotulares.” Venit lepus et narravit omnia leoni et ceteris bestiis, et ait leo, “Si quis amat ranam, ranam putat esse Dianam.”

614. Serpens Calcata et Apollo

Serpens, cum humi reperet, multorum pedibus calcata erat. Accessit supplex fanum Apollinis; quam simulatque conspexit Deus, “Si primum statim,” inquit, “qui te calcaret, perdidisses, non ausus fuisset alter.”

615. Serpens et Filius Eius

Serpens filium monebat ut sibi adesset dum in alium serpentem rueret ac mordicus corriperet et glutiret. “Facinus tam nefarium, pater,” inquit, “tune ut perpetres? De gente nostra is unus est.” “Tace, inepte, tace; sic agere expedit. Serpens enim, si serpentem non devoret, draco non fit.”

Fabula ad hos potentes pertinet, qui crescere solent ex alienis cladibus.

616. Serpens et Feles

Serpens et feles in quadam domo pugnabant. Inquilini itaque mures, qui ab utrisque continuo devorabantur, ubi decertantes eos videre, cavis illico exiere suis. Ipsi vero simul ac mures videre, iris sepositis proeliisque dimissis, omnes in illos conversi sunt.

617. Serpens et Vespa

Vespa, in serpentis capite olim insidens continuisque aculei sui ictibus feriens, atrociter ipsum vexabat. Serpens itaque, magnis doloribus excruciatus, cum eam nec ulcisci

nec a se removere ullo modo posset, forte plaustrum multis lignis onustum cum vidisset, suum caput ultro rotae supposuit, “Moriamur,” aiens, “sed cum hoste moriamur.” Atque ita una cum vespa exstinctus est.

618. Serpens et Rosa

Serpens erat qui ferebat pulchram rosam in ore. Quidam, attendens tantam rosae pulchritudinem, coepit eam palpare et odorem cum naso attrahere. Et, quia venenum non attendit, infestus veneno periit.

> *Ita adulator pulchra verba habet exterius,*
> *sed latet venenum interius.*

619. Serpens et Filius Rustici

Dicitur quod serpens punxit filium rustici, cingendo, et mortuus est. Venit ergo rusticus et, filium mortuum videns, accepit baculum ut serpentem occideret. Et, cum serpens intraret foramen, percussit eum et abscidit ei caudam. Postea dixit rusticus, “Quod factum est, factum est et factum sit; remitto tibi mortem filii mei. Veni ergo; faciamus pacem.” Respondit serpens, “Donec tu sepulturam filii tui et ego caudam amissam videmus, tunc pacem habere non poterimus.”

> *Ita illi, qui patiuntur malum ab aliquo vel faciunt,*
> *alter in altero confidere non possunt.*

620. Serpentis Cauda

Serpentis olim cauda corpus ducere et praecedere rogavit. Cetera vero membra “Quomodo,” dixere, “sine oculis et naso nos ducere poteris, quorum auxilio cetera etiam animalia ducuntur?” Sed eam nequaquam persuasere, donec suo damno sapere coacta fuit. Cauda itaque ceteris membris imperare eaque ducere coepit, integrum corpus caeca trahens. Sed tandem, in saxosum barathrum devoluta, tergum totumque corpus laceravit. Tum cauda vero caput adulari coepit, ipsumque supplex rogare, aiens,

“Serva nos, si velis, O domine; malam enim contentionem experta sum.”

621. Anguis et Milvus

Milvus raptum anguem, in altum volans, ferebat. At ille, repente conversus ipsumque morsu feriens, illico interfecit. Quapropter anguis morienti milvo aiebat, “Quid tam stultus fuisti ut eos laedere ac ad mortem rapere velles, qui nullam tibi iniuriam intulere? En ut merito eadem refers quae mihi facere parabas.”

622. Vipera et Viator

Vir quidam, hiberno tempore iter habens, cum viperam prae gelu morientem vidisset, misericordia motus, eam sustulit suoque in sinu refovit. Ea vero dum frigore detinebatur, quiete ac pacate se gessit. At postquam demum calefacta fuit, illico viatoris ventrem momordit. Is itaque, iamiam moriturus, “Merito quidem haec patior,” inquit, “quid enim hanc pereuntem curavi, quam etiam bene valentem interficere oportebat?”

623. Vipera et Auceps

Venator quidam, sumpto visco et harundinibus, venatum exiit. Cum autem turdum procera in arbore considentem vidisset, calamis inter se in longitudinem iunctis, oculos ad eum levabat, ipsum capere exoptans. Interim vero contigit ut viperam, sub pedibus iacentem, nescius premeret. Quae cum exasperata ipsum mormordisset, iamiam ille deficiens, “Me miserum,” inquit, “qui cum alium venari vellem, ab alio ad mortem raptus sum.”

624. Anguilla et Serpens

Anguilla interrogabat serpentem quare, cum similes essent atque cognati, homines tamen se, potius quam illum, insequerentur. Cui serpens “Quia rarus,” inquit, “me laedit impune.”

625. Hydrus, Vipera et Ranae

Vipera, ad fontem accedens, ex eo potare solebat. Hydrus, loci illius incola, vetabat, increpans quod, propriis pascuis non contenta, ad suam quoque mansionem accederet. Quae contentio cum magis magisque in dies cresceret, in proelium tandem venire decernunt, ea lege ut victori et telluris et aquae ius cederet. Statuto igitur proelii tempore, ranae, hydri odio, ad viperam veniunt, animumque ei, pollicitae se socias adfore proelii, addunt. Vipera cum hydro congreditur, sed ranae, nihil ultra praestare cum possent, ingentem e stagno clamorem ediderunt. Victrix autem vipera ranas, quod se socias pollicitae pugnae non interfuissent, graviter obiurgavit. At illae, “Heus tu,” dixere, “scito societatem nostram non manibus, sed voce constitisse.”

Indicat haec fabula quod verborum auxilia nihil prosunt ubi manibus opus est.

626. Draco Beneficii Memor

Puer draconem parvulum emebat magnaque eum cura educabat. Cumque crevisset, loquebatur, quasi cum intellegente, ludens ac dormiens cum ipso. Cum vero ad ingentem magnitudinem draco pervenisset, in solitudinem a civibus est dimissus. Post cum puer, adolescens factus, reversus a spectaculo quodam cum aliquibus aequalibus, in latrones incidisset et clamorem extulisset, ecce draco praesto est, et alios interimit, ipsum vero salvum conservat.

627. Draco et Homo

Draco iunxit cum homine foedus amicitiae, et commorabantur simul. Factum est igitur ut draco thesauros suos illius custodiae committeret. Post haec autem draco callidus, fidem socii experiri cupiens, ovum in medium attulit et ait, “Alius quoque ad me spectat thesaurus, non multo minor istis, quem videre debes et custodire. Tu igitur de pura fide hoc ovum custodito, quia

in eo pendet vita et omnis salus mea.” Hoc dicto, draco in viam ivit, viro ad rerum custodiam derelicto. At ille, auri cupidus, de thesauro sibi obtinendo cogitavit et ovum, in quo draconis vitam consistere credidit, frangere secum deliberavit. Quod sine mora opere suo complevit. Draco iste igitur, ad socium suum properando reversus, dum ovum fractum invenit, socii fidem aperte cognovit.

628. Draco et Vulpes

Vulpes, dum terram eruit, cubile fodiens, ad speluncam pervenit draconis, qui thesauros abditos custodiebat. Hunc simul aspexit et interrogavit, “Quem fructum capis ex hoc labore, quodve praemium tantum est ut somno careas et aevum in tenebris exigas?” “Nullum praemium,” inquit ille; “verum hoc ab summo Iove mihi adtributum est.” “Ergo nec tibi sumis nec ulli donas quidquam?” ait vulpes. “Sic Fatis placet,” respondet draco, et vulpes, “Nolo irascaris, si libere dixero: Dis iratis natus est qui tibi similis est.”

629. Draco, Villanus, et Vulpes Iudex

Draco morabatur in flumine, sed fluvius minuens dimitteret illum in arena sicca. Transienti villano draco ait, “Si me ad domum meam reduxeris, aurum accipies.” Tunc villanus ligavit draconem et posuit eum super asinum et reportavit ad cubile. Cum solvisset de vinculis, draco ait, “Comedam te, quia famem habeo.” Et villanus respondit, “Vis tu ergo mala pro bonis reddere?” Vulpes autem audivit illos litigantes et ait, “Modo ergo ostende mihi quomodo ligasti eum, et postea vos iudicabo.” Tunc villanus coepit ligare draconem; vulpes autem dicebat draconi, “Ligavit te ita fortiter villanus?” Et draco ait, “Ita, domina mea.” Et vulpes villano ait, “Vade et impone eum super asinum et reporta eum ibi, unde assumpsisti. Et ibi dimitte eum ligatum, ita ut est.”

630. Draco et Aquila

Draco et aquila, convoluti inter se, pugnabant. Et quidem draco cum ligatam detineret aquilam, videns id rusticus, soluta draconis spira, liberam dimisit aquilam. Quare iratus draco, venenum immisit in servantis potum. Hausturo vero, quod ignoraret, rustico advolans, aquila ex eius manibus calicem decussit.

Eos qui bene alicui faciunt, manent gratiae.

631. Draco in Laci Fundo

Homo prae magno timore unicornis fugiebat. Incidit in quendam lacum; erat in ripa arbor magna in qua se appendit, duos ramos ipsius tenens, et pedes posuit in alio ramo. Erantque ibi quattuor serpentes circa lacum et, respiciens ad fundum, vidit draconem os apertum habentem. Iterum vidit duos mures, unum album et alterum nigrum, comedentes radices arboris super quam stabat. Hiis stupefactus, quaerebat qualiter de tantis malis liberari posset. Aspiciens sursum, vidit mel defluens a summitate arboris. De melle gustans, oblitus est salutis suae et non est recordatus unicornis nec quattuor serpentum nec duorum murium comedentium radices arboris et quod, postquam comederint eas, cadet arbor et ipse cadet in gutture draconis, sed perseverans in mellis dulcedine perditus fuit.

632. Salamandra et Musca

Salamandra, animal venenosum, cum semel esset in igne ubi aurum excoquebatur, loquitur ad muscam, dicens, “Cur angustia et periculo victum tuum adquiris? Venias ad me; dabo tibi aurum in abundantia ut victum habeas sine labore.” Musca vero, adquiescens, in medias flammas propter aurum se iniecit, et combusta est.

633. Testudo et Iuppiter

Iuppiter, nuptias celebrans, animalia omnia convivio excipiebat. Cum vero sola testudo nimis sero adventasset,

Iuppiter, tarditatis causam ignorans, testudinem rogavit quam ob rem cum ceteris ad epulum tempestive non convenisset. Illa autem respondit, “Dilecta domus, optima domus.” Deus, ira percitus, eam ad domum continuo suis humeris circumferendam damnavit.

634. Testudo et Lacerta

Lacerta testudini aiebat, “Me miseret tui, quae, quocumque vadere libeat, ipsa cogaris domum tuam tecum ferre.” Illa inquit, “Quod utile, non grave est onus.”

635. Testudo et Ranae

Testudo, conspicata ranas quae in eodem stagno pascebantur, adeo leves agilesque ut facile quolibet prosilirent et longissime saltarent, Naturam accusabat quod se tardum animal et maximo impeditum onere procreasset ut neque facile se movere posset et magna assidue mole premeretur. At ubi vidit ranas anguillarum escam fieri et cuiuscumque vel levissimo ictui obnoxias, aliquantulum recreata dicebat, “Quanto melius est onus quo ad omnes ictus munita sum ferre quam tot mortis subire discrimina.”

636. Testudo, Aquila, et Corvus

Aquila testudinem rapuit et alto caelo cum ea volavit; testudo, intra se collectus, nullo pacto frangi potuit. Contra volans cornix, verbis aquilam laudans, “Optimam,” inquit, “fers praedam, sed nisi ingenio utaris, frustra portabis onus, nec utilis erit tibi haec praeda.” Tunc aquila illi partem praedae promisit ut illi consuleret. At cornix tale dedit consilium et ait, “Usque ad astra volato et ab alto super petram praeda tua cadat, ut testa frangatur testudinis, et nos esca fruemur.” Hoc iniquo consilio cornicis periit testudo, quam Natura forti concha munierat.

637. Testudo et Lepus, Certantes

Occurrit aliquando in via lepus testudini; cumque confabularentur, coepit ille testudini exprobrare pedes lentumque gressum irridere et se celeritatemque suam mirum quantum efferre. Quod testudo aegre audiens et ferens, leporem provocavit ad cursum. Consentit lepus, certus (ut putabat) victoriae. Diem statuunt; arbitrum eligunt vulpem, animalium sagacissimum, quae spatium et metas praefiniat. Testudo, nulla interposita mora, iter arripit, perdia et pernox ambulat, et ad locum prior pervenit, cum interim, spreto aemulo, lepus pedibus suis fidens tempus terit, cursu reparaturus moras. Sed frustra, nam brevi tempore iter dimensus reperit testudinem, loci et pugnae victricem.

> *Ex quo constat plus saepenumero studio ac diligentia rex maximas perfici quam viribus.*

638. Testudo et Aquila, Certantes

Certamen inire voluit testudo reptilis cum aquila velocissima. Locus designatus est et, qui spatio trium dierum ad propositum locum prius venerat, victor salutaretur. Aquila tardigradam contempsit testudinem, autumans se alarum impetu posse brevissime ad locum avolare. Negligens igitur secessit, aliis intenta, sed testudo indefatigabili labore et sollertia infra tempus et ante aquilam arrepsit ad locum et omnium calculis victor evasit.

> *Fabula docet quod nil tam arduum, quod non sollertia et sudore attingatur.*

639. Testudo et Vulpes, Certantes

Suscepto cursus certamine inter vulpem et testudinem, dicitur testudo se caudae vulpinae implicuisse et ita hanc a currente vulpe raptatam fuisse ad locum praefinitum, a quo cum proxime abesset vulpes, respexisse fertur et per iocum dixisse non se putasse tam celerem esse testudinem, cum illa de cauda ad signum conversa

arrepere perrexit et, non animadvertente vulpecula, illud tenuit.

Docet fabula ingenium viribus praestare.

640. Testudo Cum Avibus Volans

Iunxerat testudo societatem cum duabus avibus. Accidit ut rivulus, ubi illa manebat, funditus exsiccaretur, et avibus eo in loco consistere grave erat, omnibus situ squaloreque laborantibus. Placuit igitur migrare alio, sed obstabat desertio amicae testudinis. Tandem hanc ineunt rationem: bacillum transversum rostris capessunt, et medium tenere mordicus testudinem iubent, ita se sublatam in aera secum asportaturas in loca irrigua et ad perennes aquas pollicentur. Sed hoc iterum atque iterum monent: semel praehensum bacillum ut teneat, neve os aperiat suum. Aliquantisper processerant, cum vident aliae testudines rem admirabilem sibi, seque mutuo inclamant et demonstrat una alteri volantem sororem. Tum illa, oblita salutis suae, inquit, “Etiam” - dicere volebat se volare invitis omnibus - et, amisso per hiatum bacillo, delapsaque in saxum testa fracta interiit.

641. Coclea et Iuppiter

Cum Iuppiter ab exordio mundi singulis animalibus munera quae petiissent elargiretur, coclea ab eo petiit ut domum suam posset circumferre. Interrogata a Iove quare tale ab eo munus exposceret, quod illi grave et molestum futurum erat, “Malo,” inquit, “tam grave onus perpetuo ferre quam, cum mihi libuerit, malum vicinum non posse vitare.”

642. Coclea et Gallus

Gallus, dum ad arboris excelsae culmen volitando se tollere nititur nec potest, attonitus cocleam huc pervenisse videt. Scire autem discupit et rogat quonam modo id efficere pennis carenti licuerit. “Quid tum,” inquit illa, “si volare nescio? Adrependi artem, magis utilem, calleo.”

643. Coclea et Canis

Canis, cum forte cocleam offendisset, ovum esse ratus, magno oris hiatu avidissime eam devoravit. Ilibus autem graviter dolentibus, exclamabat, “Ah! Meritas luo stultitiae poenas, qui omnia rotunda credidi esse ova.”

644. Coclea et Simia

Coclea repperit speculum, quod, dum nimium fulgere vidisset, adamavit et, statim ascendens super eius orbem, coepit eum delingere. Nil vero speculo visa est contulisse, nisi ut splendorem salivis vel sordibus pollueret. Simia invenit speculum taliter inquinatum et ait, “Qui talibus se calcari permittunt, talia sustinere merentur.”

645. Cocleae et Puer

Torrebat puer rusticus cocleas quibus, ad prunas stridentibus, “Sceleratae,” inquit, “animantes, potestis canere, cum urantur domus vestrae?”

646. Formica et Columba

Formica, sitiens, cum ad fontem descendisset ut biberet, in aquam cecidit nec multum abfuit quin misera periret. Columba quaedam, in arbore sedens, misericordia tacta, ramulum in aquam iniecit. Hunc assecuta est formica, eique innatans, mortem effugit. Paulo post adfuit auceps, qui columbae insidiabatur. Formica, ut piae columbae opem ferret, ad aucupem arrepsit et tam vehementer eum momordit ut harundines prae dolore abiiceret. Columba, strepitu harundinum territa, avolavit ac periculum incolumis evasit.

Iuva et iuvabere; raro beneficium perit.

647. Formica et Gallina

Gallina, dum campos perambulat suis pullis comitata, in formicas incidit. “Huc, huc adeste,” clamat; “comedite! Ista bestiolarum natio vobis dapem praebet optimam.” Hi iussa

matris ore strenuo peragunt, neque illa escam dulcem carpere negligit. At interea cogitatio tristis subit, quae talibus querelis mox effunditur, “Vos educo, o miselli, et alimentis exquisitioribus expleo, ut herus avidus bene saginatos voret! Heu ventres flagitiosi! Heu gula! Heu scelus! Tam formosas alites coqui! Tam innocentes victimas iugulari!” Formica, ab alto ramo arboris proximae, quae huc se receperat ut necem evitaret, gallinam querentem audiit et “Quaenam est,” inquit, “ista impudentia, quod tam severe nunc expostulas de hominum crudelitate, cum tu ipsa crudelior deleas prandio uno gentem universam?”

Qui alios damnare vult, se inspiciat prius.

648. Formica et Musca

Musca formicam irridebat et miseram reputabat. “Tu,” inquit, “latitas in cavernis tenebrosis, ego vero in nobilibus aulis; tu aquam lutosam bibis, ego in cyphis aureis bibo et in scutellis argenteis cum divitibus comedo.” Cui formica respondit, “Noli gloriari in praesenti, cum nescias quid crastina pariet dies. Malo de labore meo vivere et secure latere in caverna quam cum timore et periculo personae meae habitare in palatiis et bibere in vasis argenteis in quibus si cadas submergeris et turpiter eiecta morieris. Et licet in praesenti aetate affluas deliciis, in hieme peribis futura, quia non tibi provides unde vivere possis.”

Valde enim fatuus est qui tantum praesentia attendit et futura pericula non avertit.

649. Formicae Duae

Formicae duae commode vitam sustinebant, cibos viles parabilesque adhibere contentae. At una quondam, taedio affecta sortisque melioris appetens, domo discedere coepit, dum perveniret denique in quoddam horreum, bellariorum omni copia refertum. “O Iuppiter hospitalis,” ait, “bonum quod mihi venit hodie, perpetuum facias, precor!” Dulcem

dapem eligit et, opipare pransa, ad pauperem cellam redit. In boni partem invitat sociam; illa vero pertinax repugnat et inquit, “O soror, cum nunc satis bene mihi sit, distrahi periculosum iudico.” Sed altera, nil iam cupiens nisi degustatas semel delicias, saepissime horreum revisit, gulae intemperanti obsequens; sic vitam dum sibi vult reddere iucundiorem, multo breviorem efficit. Soror funus miserae bestiolae curat, maesta quidem, sed sano corpusculo vigens.

650. Formica Transformata

Quae nunc formica est, dicitur homo fuisse agricola, assuetus furari et clam surripere vicinorum messes et sata. Unde indignati, Dii eum in hanc bestiolae naturam transformarint, quae, inveteratae consuetudinis haud oblita, formam hominis, non mores suos, exuerit. Ut antea, huc et illuc per campos excurrit, furtim grana suffuratura vicinorum.

Adeo Naturam et mores suos dediscere difficile est.

651. Formica Alata

Formica sortem suam conquerebatur: se aevum trahere malis innumeris obnoxium, et semper timere ne plebis rusticae planta gravi conteratur vel perdicibus esca iucunda fiat. “O Iuppiter, mihi concede pennas,” inquit, “ut possim caput incolume periculis tantis eripere.” Iuppiter, querela pervicaci motus, pennas concessit bestiae imprudenti. Ergo illa munere novo gaudet et levis per auras se tollit. At simul ab hirundine adspicitur, avis famelica in eam devolans rapido impetu nec opinantem vorat.

Deus, dum annuit, stulte appetentes plectit.

652. Formicae et Cicada

Formicae fruges per hiemem humectatas siccabant. Has adit cicada, esuriens, et rogat paululum cibi ut sibi impertiant. Cui illae, “Aestate,” inquiunt, “quaerere te

oportuit." "Non vacabat," inquit cicada. "Quid faciebas igitur?" "Cantationibus operam dabam," inquit. Tum illae, "Si cecinisti," inquiunt, "aestate, hieme saltato."

653. Formicae et Sus

Formicae per totam aestatem et autumnum sollicite laborant et colligunt in acervum suum grana et alia, unde vivere possint in hieme. Et, cum totum compleverint, venit sus cum porcellis suis et, acervum aperiens, quidquid congregatum est dissipat et consumit.

> *Sic est de avaris quod, cum omnia congregaverint, supervenit hiems, id est mors, et omnia dissipat et consumit.*

654. Cicada et Vulpes

Cicada procera quadam in arbore canebat. Vulpes, eam devorare cupiens, ut capere posset, huiusmodi dolum commenta est. Stans ex adverso atque eius vocis suavitatem simulans admirari, eam ut descenderet hortabatur, aiens optare se, quantum sit animal illud quod tam sonoram vocem emitteret, propius videre. Illa, dolum suspicata, "Heus tu, falleris," ait, "si me descensuram putas. Ex quo enim vulpino in stercore cicadae alas esse vidi, a vulpibus caveo."

> *Prudentes homines aliorum calamitates cautos faciunt.*

655. Cicada et Auceps

Auceps, audita cicada, magnam aliquam praedam capturum se speravit, quam, cum forte praeteriret, aestimabat ex cantu. Sed cum arte adhibita cepisset, nihil quidem praeter cicadae cantum reportavit. Tunc itaque opinionem incusavit, quod mendax multis in rebus ferret iudicium.

656. Cicada et Noctua

Cicada acerbum convicium noctuae faciebat, quae solita est victum in tenebris quaerere et interdiu cavo ramo somnum capere. Cicada rogata est ut taceret, sed multo validius clamare occepit. Rursus admota prece, magis accensa est. Noctua, ut vidit sibi nullum auxilium esse et verba sua contemni, hac fallacia garrulam adgressa est: “Quia me dormire non sinunt cantus tui, quos putes citharam Apollinis sonare, mihi animus est nectar potare, quod Pallas nuper donavit. Si non fastidis, veni; una bibamus.” Cicada, quae siti arebat, simul vocem suam laudari gaudebat, cupide advolavit. Noctua, cavo obsepto, cicadam trepidantem consectata est et leto dedit. Sic, quod viva negarat, tribuit mortua.

657. Cicada et Hirundo

Cicada, dum sonis raucis cuncta replet, auribus omnium patulis bene esse putat, sed hirundinis garrientis vocem ferre non potest. Conviciatur nimisque loquacem et praeter modum garrulam vocat. Illa sic convicium refellit, “Tu mihi loquacitatem exprobras et garrulitatem - tu, quae hominibus et avibus et pecudibus fastidium creare soles per totam diem ista tua voce stridula? Memor hoc retine: stultum est ea obiicere quae maxime peccas.”

658. Cicada et Asinus

Asinus, cicadae cantus dulcedine captus, interrogavit eam quibus alimentis uteretur ut vocem ita suavem haberet. “Aer et ros,” respondit cicada, “sunt alimenta mihi.” Quae cum audisset asinus, artem se invenisse credens, qua similem vocem cicadae nancisceretur, rictu aperto captavit auram, ut qui rore ali cuperet, usque dum fame consecutus periit.

659. Cicadae et Musae

Cum carmina, primum proferentibus Musis, cognita ab hominibus fuissent, erant qui tam incredibili et infinito

studio illorum tenerentur ut prae his non modo nihil rerum necessariarum curarent ac respicerent, sed ne vacarent quidem cibo sumendo. Quos Deorum aliquis miseratus, attenuatos fame et vigiliis atque assidua occupatione carminum, in cicadas fertur mutasse, ut cupiditati illorum nihil umquam deesset, cum praeter vocem nihil ferme quo vita intellegi posset haberent; corpus autem eiusmodi, ut minimo cibo duraret, itaque rore pasci ac vivere cicadae putantur.

660. Cicadae et Passerculi

Arbor erat in rustici agro, fructum non ferens, sed passerculis solum et cicadis refugium praebebat. Rusticus itaque ut infructiferam caedere voluit; quapropter sumpta securi ictum intulit. Tum cicadae et passerculi, refugium ne excideret suum orabant et "Abstine, quaeso," aiebant, "ut in hac arbore canere et te, rustice, delectare possimus." At ille nihil curans, secundum ac tertium intulit vulnus. Ut vero arborem cavavit, apum examen una cum melle reperit. Quo gustato, securim abiecit arboremque ut sacram coluit et curavit.

661. Scorpio et Iuvenis

Iuvenis quidam in locis remotis et desertis capiebat cicadas. Quas inter videns scorpionem, eum quoque cicadam esse credens, extento bracchio cupiebat humo tollere. Scorpio autem, aculeo suo ad pungendum exserto, ita illum est allocutus, "Si me ausus fuisses tangere, effecissem, ut quas cicadas cepisses, dimitteres."

662. Aranea et Hirundo

Aranea in hirundinem excandescens quae muscas qui suus est cibus capiebat, retia in foribus per quas volitare solebat ut hirundinem caperet suspenderat. Hirundo vero, advolans, retia cum textrice per aera portabat. Tunc aranea, in aere pendens et se iamiam perituram intellegens, "Quam iuste haec patior," dicebat, "quae,

minima volatilia magno labore vix capiens, credidi tam magnas aves posse comprehendere."

663. Aranea et Podagra

Pluto podagram et araneam evomuit ac, "Prospiciamus," inquit, "quaenum cuique conveniat sedes. Hinc videte humiles casas, illinc superbas aedes." "Nihil in casis," inquit aranea, "quod me delectet." Contra altera, cernens medicos errantes vastis in aedibus, in digito pedis cuiusdam inopis sese diffundit. Interim Arachne sedem figit in laqueari, telam texit, et capit culices. Advenit ancilla, verrensque totum opus, heu, scopa tollit! Iterum tela texta, iterum scopa everrens. Podagra vicissim agebatur suis infortuniis. A rustico trahebatur, modo ligna findente, modo terram fodiente, modo glaebas ligone versante. "Ergo," inquit, "soror Arachne, mutemus sortes." Arachne auscultat et casam subit, nec iam metuit scopae repentinos impetus, opus diruentes. Podagra recta invadit episcopum, quem immotum languere iubet. Ita cuique, sorte opportune immutata, sors obtigit melior.

664. Eruca et Vipera

Dum sol olim aestivus ardet, eruca viperae dixit, "Me oppido miseret tui quae, tanta cum sis, per tesqua, silices, et tot vias inaequales humi repere cogeris. Sed Natura mihi dedit pedes innumeros, qui hoc meum corpusculum sustinerent." "Tibi tamen," inquit vipera, "nihil invideo. Namque, pedes quamquam non habeo, multo celerius te pervenire possum quo volo."

665. Erucae Duae

Erucae duae in caule eodem creverant et societatem sororiam iniverant. At una, cum pennas repente sibi advenisse cerneret, statim cupiens se papilionum gregi immiscere, sursum enititur. Per auras fertur. Veterem amicam negligit et, huius et erucarum omnium immemor, pernegat se umquam de gente ista fuisse.

Homines repente ex humili loco emersi tolerari possint, ni genus suum spernant.

666. Bombyx et Puer

Musarum alumnus iunior, nugax, levis, et osor librorum, cubiculum, quo magister suus ipsum sedulo detinebat, peius carcere atro horrere solitus est, et bombycem alebat ut taedium falleret et luctum fugaret. Hunc videns sese involvere filis subtilibus, quae ipse neverat, “O stulta bestia,” ait, “quae istis laboribus perfungeris ut tibi carcerem struas!” At ille retulit, “Ni opus tale fecero, eruca repere cogar, nec umquam mihi continget ut in alitem venustum muter.”

Pueri monentur ut laboribus doctis se exerceant, ni per humum repere velint.

667. Papilio et Formica

Formica, erucam folio haerentem videns, “Iners bestia,” ait, “vivisne? An, cum Natura te fingere incepisset, noluit absolvere? Si vita fruere, quin te moves? Misera, me intuere, si potes, et disce, quam Natura animantibus pedes non tribuerit ut situ torpescerent.” Eruca conviciis nil commovetur, sed opus quod aggressa est placide exsequi pergit. Corticem tenuem sibi paulatim superinducit, dum se totam circumtexerit. Postquam sic sepulta fuit aliquandiu, in alitem album mutatur, vincla exuit, et ruinas dissoluti carceris linquit; in auras se tollens, volat nitidus papilio. Post dies paucos, dum ludibundus alas leves exagitat circa arbusculam virentem, formicam eniti ut ascensu truncum superet videt et “Fatere tu,” ait, “hanc vitam, quam desidem et turpem putaveras, mihi non fuisse inutilem.”

668. Papilio et Vespa

Papilio vespam prope volantem viderat. “O sortem iniquam,” ait; “dum vivebant corpora, quorum ex reliquiis animam nos accepimus, ego eloquens in pace, fortis

proeliis, arte omni princeps inter aequales fui; en cuncta levitas putris et cinis volito. Tu, qui mulus clitellarius fuisti, aculeo infixo laedis quemcumque visum est.” At vespa dignam memoria vocem edidit: “Non qui fuerimus, sed qui nunc simus, vide.”

669. Papilio et Apes

Papilio volucer, florum amator frivolus, dum alis levibus ad cunctas redolentis horti opes visere properat, et violae modo, calthae modo osculum inane libat et fugit, apem vidit, mollibus rosae foliis insidentem et succos dulces naviter exprimentem. Accedens aliquantulum substitit, ut tam pertinacem illius diligentiam irrideret. At ea, nihilo segnius opus exsecuta, “Futiles,” inquit, “iocos verbis refellere neque lubet neque expedit; illud monebo tantum: qui dulce utili miscuit, is dignus est omni suffragio.”

670. Apes et Iuppiter

Quod suos labores ab hominibus compilari apicula aegre ferret, elegantissime constructos favos Iovi obtulit et ab illo petiit letiferam ut aculeo suo vim adderet. Iuppiter, immanitate bestiolae offensus, “Immo potius vitalem vim tribuam,” inquit, “ut una cum illo tibi vita relinquenda sit.”

671. Apes et Vipera

Pratum ferax herbis innumeris opertum erat, sed sicut herbas salubres multas et passim offerebat, coloribus et odoribus suavissimis praeditas, etiam aliquot noxias alebat, contagione sua praeditas et veneno pestifero. Huc vipera adrepsit, et apes pariter advolavit, at fuit utriusque studium longe dispar. Haec enim, generandi mellis cupida qui gratissimus et simul optimus fuerit, florem hunc petit; huic diligente pertinacia insidet; huius liquores exquisitos exprimit. At vipera, ut virus suum augeat, ad cicutae herbam malam tendit; hac se ingurgitat, succosque tristes corpore atro combibit.

Ex omnibus libris boni bona, mali mala deligere solent, quae sibi propria faciant.

672. Apes et Musca

Apes et musca contendebant quae earum esset potentior, et dixit musca, “Cum tu et tui similes multo labore et ingenio mel ex floribus collegeritis et in cellulis vestris, quas item mirifice construitis, toto anno collocaveritis, homo in momento unius diei totum laborem vestrum sibi usurpat et, quod gravius est, vos ipsas interficit, et ego et mei similes postea de labore vestro comedimus. Et videtis quod ego, si mihi placet, iuxta regem sedeo vel, si magis voluero, super caput ipsius sublimis exsisto. Sed vos, si veneritis in conspectum regis vel ei appropinquare volueritis, continuo repellemini.” Tunc apes respondit, “Gloriam tuam, quia vana est, audire non possum. Sed hoc te volo scire: quanto te in altiori loco videro, tanto te viliorem habeo.”

673. Apes, Fuci, et Vespa

Apes in alta quercu favos fecerant, quos fuci inertes dicebant esse suos. Lis ad forum deducta est, vespa iudice, quae, cum genus utrumque nosset pulcherrime, legem hanc proposuit duabus partibus: “Non inconveniens est corpus, et par est color, ut plane res in dubium merito venerit. Sed, ne religio mea peccet imprudens, alvos accipite et ceris opus infundite ut, ex sapore mellis et forma favi, auctor appareat horum de quibus nunc agitur.” Fuci recusant; apibus conditio placet. Tunc illa talem sententiam rettulit: “Apertum est quis non possit et quis fecerit. Quapropter apibus fructum suum restituo.”

674. Apicula et Fuci Otiosi

Animadvertens apicula fucos otiosos in copia non minore vitam degere quam laboriosissimum genus apicularum, eos imitari et non magis opus facere velle decrevit. Sed, cum quasi pensum cotidianum

ab illa exigeretur, desertis suis, ad fucos transiit, interque illorum furta suppetente etiam ubique pabulo, aestatem satis, ut rebatur, commode transegit. Sub hiemis autem frigora, fuci in suas lamulas disperguntur et se quasi sepeliunt intra cavernas. Apicula igitur revolabat ad genus suum et alvearia repetebat; verum, omnibus foraminibus et ostiolis alveorum obturatis, celeriter gelu hiemis et imbribus oppressa interiit.

675. Apes et Agricola

Agricola, ictus ab ape, admirabatur ut ex eodem ore succus tam suavis et stimulus tanti doloris exiret. Respondit apes, “Quo beneficentior sum, eo maiori odio prosequor mihi inferentes iniuriam.”

> *Fabula indicat quo magis homines benefici sunt, eo minus iniurias tolerare.*

676. Apes Duae Involantes

Agricola forte apes duas offenderat et excitarat, ut animose se vindicare quaererent. Una, praenuntiis bombis comminans, adversus hostiles genas involat. Is autem, monitus, “Huc modo accede, ferocula,” inquit, “cum tuis minaciis, accede; faciam tam grave hercle sentias ut posthac sensura sis nullum aliud malum.” Iamque ictum parat, at altera interim, silens, furtim approprinquat et in cutem inimicam fortiter sese mittens impetu necopino, dirae ultionis memorem notam imprimit.

> *Ira eo nocentior est, quo est occultior.*

677. Apes et Pastor

Apes in cava quercu mel faciebant. Pastor vero in eas, operi intentas, forte incidit. Idque sedulo agebat ut favos auferret. Quod cum sensissent apes, furore percitae hinc et illinc circumvolant, suisque hostem abigunt aculeis. Ille tamen victus, “Valete,” inquit, “O feroculae, aeternum valete! Non adeo mel desidero, ut a vobis illud accipiam.”

678. Apes, Mel, et Vir

Quidam, conspecto alveo intra quem apes acquiescerent, accessit et aperit illud, avidus mellis; tum in ipsum apes, facto impetu, involant et, quaecumque partes in corpore patebant, eas configunt aculeis suis. Hic vero, pessime acceptus, vix fuga se eripuit et periculum evasit. Quem conspicatus alius, quod esset ore tumido et ulcerato, causam mali sciscitatur. Hic vero, quid sibi accidisset, narrat. Tum ille, “At tu,” inquit, “posthac apes prius repellito et abigito, ita denique mel tuto carpere et frui illo secure poteris.”

679. Apes, Fur, et Mellarius

Cum forte abesset apium dominus, ingressus apiarium fur exsecuit favos et alvearia compilavit. Reversus mellarius, alvearibus inanibus repertis, ad illa constitit, dolens damno suo et quaerens secum quid ageret. Interea redeunt apiculae de pastu et in illum infestae involant, pungentesque aculeis suis pessime accipiunt hominem qui, iratus, “Sceleratae,” inquit, “animantes! Furem dimisistis intactum; me vero curatorem vestrum affligitis.”

680. Musca et Quadrigae

Quadrigae in stadio currebant, quibus musca insidebat. Maximo autem pulvere, tum equorum pedum pulsu, tum rotarum volutatione, exorto, dicebat musca, “Quam magnam vim pulveris excitavi!”

681. Muscae et Mel

Ad mel, profusum in cella quadam, advolantes, muscae illius dulcissimo succo iucundissime pascebantur. Sed iam saturae, cum avolare vellent, pedibus nitentibus, etiam alis in tenace liquore haerentibus, moriturae, “O miserae,” inquiunt, “quantillus nobis cibus interitum attulit.”

682. Muscae et Rusticus

Impatiens quidam in aestate muscarum, a quibus perpetuo vexaretur, arripit iratus accensa stramenta et in casula ubique circumfert flammam, cuius vi muscae vel necarentur vel repellerentur. Sed incautius dum ignem tractat, tugurioli arida materia incenditur et domuncula tota conflagrat.

Fabula docet plerosque vitantes parva detrimenta in maxima damna incidere.

683. Muscae et Equus

Dira muscarum cohors aculeis pertinacibus equum pungebat macerrimum, ulceratum et insuper cauda carentem. Ille, postquam nulla vi hanc molestiam excutere potuit, denique volucres malas rogare coepit ipsae ultro discederent et cutem miserrimam ulceribus horridam spernerent et, equum alium simul ostendens pinguem et nitentem, suadet ut in hunc devolent, quippe sanguinem meliorem potaturae. Respondet una, “Forte fieret quod rogas, nisi ille nimium corpulentus foret et ferox, et cauda nimium longa praeditus.”

684. Musca et Calvus

Musca hominem calvum valde infestabat et ipsum in capite mordebat. Cum homo muscam temptaret percutere, avolante musca, caput suum percutiebat. Quae cum decies rediret et homo caput suum pluries percuteret, musca illi insultabat et ipsum irridebat. Cui calvus respondit, “Quare, O misera et fatua, rides, cum parum laedere possis et multum laedi?” Cumque musca iterum et iterum rediret, calvus fortiter percutiens et muscam priusquam recedere posset attingens, ipsam contrivit et occidit.

685. Musca et Vir Haereticus

Dicitur quod quidam haereticus in loco exaltato praedicavit quod verus Deus non fecit mundum

visibilem, nec animalia, nec corpora, dicendo, "Quare faceret Deus benignus muscas, cum sit animal immundum?" Et venit una musca et in facie haereticum stimulavit. Ille muscam cum manu fugavit. Illa ex altera parte in facie sedit, et ille iterum fugavit. Totiens hinc inde in faciem haeretici insiluit, quod, ex improviso vexatus, in praecipitium se dedit et confractus est. Ecce qualiter musca probavit quod Deus eam fecit et iniuriam creatoris sui vindicavit.

686. Musca et Viator

Viator olim sub alta palma propter aquam consederat. Itinere fessus se somno dabat. Musca tamen eum diu quiescere non sinebat; modo circum caput assiduo strepitu volitat, modo in os leviter residit; inde audacior fit, et stimulum acutum in tenerrimam cervicis cutem infigit. Statim viator exsilit; iam vigil circumspicit; ingentem leonem instantem videt. Quam celerrime summam palmam petit. Sic musca viatoris vitam servavit.

Minimae res interdum nobis magno usui sunt.

687. Scarabaeus Alte Volans

Scarabaeus quidam, de fimario exiens saturatus, vidit aquilam in alto volantem. Tunc sociis suis dixit, "Ecce aquila, rostro ferox et unguibus, fortis corpore, velox alis. Cum vult, usque ad nubes ascendit et ad libitum suum velociter ima petit. Nos vero nec cum vermibus nec cum avibus computamur. Verumtamen aquila nec voce suavior, nec colore nitidior me existit. Fimarium de cetero non intrabo. Quin immo, volucribus me coniungens, cum ipsis ubicumque volitans conversabor." Tunc, in altum se tollens, canere coepit murmure turpi et, dum sequi aquilam in sublimibus niteretur, auram asperiorem non sustinens, cecidit, concussus et attonitus, longe extra terminos assuetos ubi, fame periclitans, ait tristis, "Animo non curarem utrum vermis aut volucris reputarer, dum tamen ad antiquum possem fimarium pervenire."

688. Scarabaeus et Lupus

Lupus dormiebat et aditum posterioris apertum habuit. Scarabaeus introivit coepitque titillare dormientem. Lupus, hostem intrinsecus sentiens, grave periculum timuit. Scarabaeus deinde per viam qua venerat egreditur. Lupus indignans est quod vermiculus tam modicus sibi timorem incusserit et certamen promittitur. Bestias convocat, quae cervum ducem eligunt. Sed lupus suos ammonuit, “O insignes bestiae, vires vermiculorum ne timeatis; tantum posteriora nostra ne introeant, praecavete.” Unde actum est ut quaelibet asserem culo alligaret. Adsunt vespae, apes, muscae, et dominus ipse scarabaeus. Cervus, expertus ferocissimi hostis iacula, retro ventum cum sonitu emisit, cuius impulsu asser fractus est, et sic dux hosti terga dedit, dirupto taliter assere, in quo totius exercitus robur erat fiduciae. Sic omnis exercitus de facili concutitur, cum viderit ducem suum terga vertere.

689. Scarabaeus et Fur

Fur insignis, nocturno fatigatus circuitu, in pratum venit floribus et gramine vestitum. Loci amoenitate delectatus, se deposuit in gramine. Sed dum somnus eum obruit, statim scarabaeus eum subintravit, per inferiorem regionem ingressus. Fur ergo, hospitis sui importunitatem sentiens, protinus evigilavit et dolere coepit. Venit ergo ad medicos. At illi gravidum eum esse dixerunt. Res igitur ista nova et stupenda per totam diffunditur viciniam, et audientes mirati sunt et timuerunt valde, quia malum portendere illud dixerunt. Observabant ergo furem laborantem et gementem, circa eum assidentes ut finem rei viderent et periculum quod portendere videbatur. Dum igitur ille gemit et clamat ut pariturus, ecce scarabaeus, longo luctamine fatigatus, per viam qua subiit regressus est, et ipse, stimulator equorum, stimulator furis inventus est.

690. Scarabaeus, Lepus, et Aquila

Lepus, ab aquila cursu pressus, in lustrum scarabaei profugit, rogans ut ab eo servaretur. Scarabaeus autem rogabat aquilam ne occideret supplicem. Illa vero, irata, ala percussit scarabaeum et leporem arreptum devoravit. At scarabaeus cum aquila avolavit ut nidum eius disceret. Ac iam cum eo pervenisset, ova eius devoluta disrupit. Aquila ergo adscendit ad Iovem et in ipsius genibus feturam ovorum posuit, cum Deo ipsa supplicasset ut custodiret. Scarabaeus autem, e stercore pilula facta, ascendit et eam in sinum Iovis demisit. Iuppiter vero, cum surrexisset ut fimum excuteret, ova quoque proiecit. Nolens igitur genus aquilarum rarescere, monuit scarabaeum ut aquilae conciliaretur. Eo autem non parente, Iuppiter in aliud tempus aquilarum transtulit partum, cum scarabaei non appareant.

691. Scarabaeus et Stercus

Scarabaeus semel volavit per amygdalinas arbores florentes, per pomaria, per rosas, per lilia et alios flores. Tandem proiecit se in sterquilinium ubi erant stercora equorum et boum, et invenit ibi uxorem suam quae quaesivit unde veniret. Et ait scarabaeus, “Circuivi terram, transvolavi eam, vidi flores amygdalarum, rosarum, et lilorum, sed numquam vidi ita amoenum locum et delectabilem sicut est iste,” demonstrato sterquilinio.

692. Scarabaeus et Formica

Formica, aestivo tempore arva circumiens, frumentum ac hordeum colligebat sibique, ut vesci posset hieme, recondebat. Hanc videns, scarabaeus ingentem quidem eius laborem atque sollicitudinem est admiratus, quod nimirum eo tempore quo animalia cetera, labore remisso, otia trahunt, ipsa contra ita labori insudaret. Ad haec, formica tunc nihil respondit. Postea vero, cum hiems advenisset atque fimus, nimio imbre perfusus, omnino madefactus esset, scarabaeus, fame correptus, ad eam

se contulit ac, ut aliquid cibi daret, enixe rogavit. Cui illa, “Si tum, scarabaee, escam tibi comparasses, cum me laborantem increpabas, nunc profecto non indigeres.”

> *Pari modo, qui ubertatis causa nullam futuri curam habent, conversis deinde temporibus, calamitatibus maximis opprimuntur.*

693. Scarabaeus et Apes

Scarabaeus conspexit apem mel permultum parantem petiitque ex ea ut se artem doceret. Apes morem ei gessit. Cum autem inveniret eum numquam mel facere intellecturum, aculeo eum percussit et interfecit. Scarabaeus moriens, “Iure,” inquit, “illud mihi accidit, ego enim in fimo habitans ad mel appropinquavi.”

694. Scarabaei et Apes, Prandentes

Apes semel invitaverunt scarabaeos ad prandium. Venerunt scarabaei, et, mensa posita, apposuerunt apes mel et favum. Scarabaei parum comederunt et avolaverunt. Iterum scarabaei invitaverunt apes; mensa posita, apposuerunt apibus fimum boum. Apes noluerunt gustare et recesserunt.

695. Culex et Leo

Culex ad leonem volat, et leoni ita dicit, “Ego te non timeo. Tu non fortior es quam ego. Quid est tuum robur? Tu laceras unguibus; tu mordes dentibus; hoc quoque femina facit. Nos hic pugnabimus. Ego victor ero!” Culex tuba signum pugnae dat; tum proelium committunt. Culex nares leonis pungit. Circa nares cutis est tenera, nullae enim comae ibi sunt; hic culex vulnera dat. Vulnera leonem angunt. Leo unguibus suos nares dilaniat. Dolor leonem vincit. Tandem clementiam rogat et victoriam culici dat. Inde culex victor avolat. Sed araneae vincula fugam impediunt, et aranea victorem comedit. Culex haec extrema verba edit, “Heu! Ego regem animalium vici, nunc me vilissimum animal devorat?”

696. Culex et Taurus

Culex cum taurum provocasset viribus, venerunt populi cuncti ut spectacula cernerent. Tunc parvus culex "Satis," inquit, "habeo quod venisti comminus. Par tibi factus sum iudicio tuo." Hic se per auras sustulit penna levi lusitque turbam et tauri destituit minas, qui, si fuisset validae cervicis memor, pudendum contempserat inimicum, et ineptae materiae non fuisset gloriatio.

Ille sibi famam diminuit, qui se indignis comparat.

697. Culex et Passer

Passer ceperat culicem. Culex clamabat, "Concede mihi vitam; reputa iuventutem meam." "Non ita," respondet ille; "devorabo te, nam ego sum magnus, tu es parvus." Passerem edentem conspicit accipiter et unguibus corripit. Tum passer clamavit, "Cur me necas? Nihil peccavi. Parce!" "Non ita," respondet accipiter; "devorabo te, nam ego sum magnus, tu es parvus." Dum accipiter passerem dilacerat, subito devolat vultur et corripit accipitrem. "Magne rex," clamat accipiter, "mitte iram tuam et redde mihi libertatem." "Non ita," respondet ille; "devorabo te, nam ego sum magnus, tu es parvus." Ita loquens, praedam dilaniat. Repente collum superbi perforat sagitta, quam venator emiserat. "Cur me interficis?" clamat vultur moribundus; "numquam tibi nocui." "Iure te interficio," respondet venator; "nam ego sum magnus, tu es parvus."

698. Culex et Apes

Culex, hiberno tempore, cum fame et frigore se periturum coniiceret, ad apium accessit alvearia, ab eis cibum et hospitium petens. Quae si ab eis fuisset consecutus, promittebat filios earum se artem musicam edocturum. Tunc quaedam apes, "At ego artem meam malo liberi mei discant, quae eos a famis et frigoris periculo eximere poterit."

699. Culex et Lumen

Culex, cum gentem suam opprimi ab hirundine avida videret, aeriis plagis cessit et in rustici casam se recepit. Sed, videns usquequaque hic retia extendere araneam, “Heu,” ait, “quid misero mihi quaesii? Iste locus insidiis periclisque plenus est.” Ergo textricem suae genti inimicam abominatur et fugit. Hinc ad divitis domum superbam volat et furtim in conclave splendidum permeat. Latet aliquandiu, animi dubius an tandem satis tuta sibi omnia sint. Postquam metum omnem abiecit, ex angulo erumpit atque “Bona Salus,” dixit, “has aedes habitat; hic laute, beate, tuto vivere licet.” Nox interim advenit; lumina accenduntur. Iste fulgor novus culici insueto placet. Huc ergo ruit, at ustulatur et crepat.

Sapiens qui suos hostes fugit, deinde ipse
sibi hostis saepe perit stultitia sua.

700. Pulex et Bos

Pulex sic olim bovem interrogavit, “Quid causae est quod tu, qui tam magnus ac fortis es, hominibus quotidie inservias, dum ego eorum carnes acriter vellico et sanguinem hianti ore bibo?” “Ego,” bos ait, “in hominum genus ingratus non sum; ipsi enim ingenti amore atque benevolentia continuo me excipiunt ac frequenter mihi frontem atque humeros fricant.” Tum pulex, ad haec respondens, “At mihi,” ait, “misero contrarium fit; nam si ab illis ego fricarer, id mihi mortem funestissimam compararet.”

701. Pulex et Abbas

Pulicem cepit abbas, dicens, “Nunc te teneo! Saepe me punxisti, a somno excitasti; numquam te dimittam, sed statim interficiam.” Dixit pulex, “Pater sancte, ex quo me interficere proponis, pone me in palma tua, ut libere valeam peccata mea confiteri. Cum confessus fuero, poteris me interficere.” Abbas, pietate motus, posuit pulicem in medio palmae. Pulex statim exsilivit et

per saltum evasit. Abbas pulicem fortiter vocavit, sed redire noluit.

Sic plerique, in arto positi, interea promittunt sed, cum evaserunt, nihil persolvunt.

702. Pulex et Homo

Pulex hominem momordit at extemplo comprensus fuit. “Oro,” ait, “ut me mittere velis, bestiolam tam minutam, tam levis punctus ream.” At ille renuit et, hostem enecans, “Doceantur,” inquit, “ceteri tui similes quam periculosum sit illos pungere quorum digitulis facile opprimi possunt.”

703. Pulex, Homo, et Hercules

Cum insiluisset pulex in pedem cuiusdam, ille ad opprimendum hunc Herculem invocavit. Sed cum pulex se illinc mox saltu subduxisset, cum gemitu ille “Hercules,” inquit, “quid ego abs te opis in magnis periculis exspectem, qui contra pulicem adesse mihi noluisti?”

704. Pulex et Pediculus

Dicitur quod quidam pediculus diu nutritus fuit in sanguine cuiusdam viri et numquam eum mordebat nisi quando dormiebat. Quadam vero nocte hospitatus est quidam pulex apud eum et, indiscrete mordens et vulnerans dormientem, excitavit eum. Qui, statim surgens et inquirens stragula sua, invenit pediculum et strictis unguibus occidit eum. Pulex vero assiliens huc et illuc evasit.

705. Quercus et Iuppiter

Quercus Iovem accusabant, aientes, “Nos quidem vitam miserrimam ducimus, nam prae aliis arboribus universis violenter caedimur.” At Iuppiter “Vosmetipsae,” respondit, “huiusce calamitatis causa estis. Nisi enim securibus manubria ferretis atque ad fabrilia et georgica opera

peragenda utiles essetis, haud profecto vos securis caederet.”

> *Ita nonnulli, suorum malorum causa cum sint sibi,*
> *stulte incusant Deum.*

706. Quercus et Glires

Glires quercum arborem glandiferam dentibus eruere destinaverant, quo paratiorem haberent cibum ne victus gratia toties ascendere et descendere cogerentur. Sed quidam ex eis, qui aetate et usu rerum ac prudentia ceteros longe anteibat, eos absterruit, dicens, “Si nutricem nostram nunc interficiemus, quis futuris annis nobis ac posteris nostris alimenta praebebit?”

707. Quercus et Arbuscula

Arbuscula, sub quercus umbra geminans, eius arduae praestantiam laudabat. Quercus “Meum quidem,” inquit, “cacumen altum in aethera surgit; in totum nemus dominor. At quo magis praecello arboribus ceteris, tanto facilius iniuriae venti, grandinis, nivis, et fulminis atroces me petunt.”

> *Homines infimi hac fabula commonentur,*
> *ne summis invidere velint sortem suam.*

708. Ficus et Spina

Cum ficus grossis esset gravis, florebat spina. Haec igitur ad ficum, “Ubi flores tui sunt?” ait. Cui ficus “Ubi fructus tui,” inquit, “sunt?” “At mihi,” inquit spina, “fructus Natura negavit.” “Quare tu igitur,” inquit ficus, “flores in me requiris, cum floribus multo praestantiores fructus videas?”

709. Ficus et Aves

Ficus diu multis avibus adversus solis calorem hospitium umbrosum et adversus famem praeclaros fructus large praebuerat. Tandem fulmen ficum ferit, folia adurit,

fructus perdit. Protinus aves procul avolaverunt, neque ulla postea ramos revisit aridos.

Quem fortuna deseruit, eum adulatores quoque deserunt.

710. Malus Exspoliata

Malus, pulchris optimisque fructibus onusta, superbiebat, nam quotidie herilis familia ad ipsam ventitabat pomum decerpendi gratia, modo hoc, modo illud, cui maturitas pretium addidisset. Sic malus illa stulta credidit amicos facere. At postquam nil superfuit, praeter folia. Repente sese desertam videns, “Heu,” inquit, “mihi diviti multus amicus fuerat, quoniam nullus est nunc pauperi.”

711. Malus et Rusticus

Rusticus quidam ex malo, quam in proximo habebat agello, sapidissima quotannis legebat poma. Hero lecta donabat urbano, qui illectus incredibili pomorum dulcedine, malum tandem ad se transtulit. Ea veterrima repente exaruit atque ibi poma pariter et malus periere. Quod cum patrifamilias nuntiaretur, “Heu, difficile est,” inquit, “annosam trasplantare arborem. Satis superque fuerat, si frenum meae novissem imponere cupiditati, et fructus e ramo decerpere.”

712. Salix et Agricola

Salix adulta in valle aquosa ad humidam paludis pinguissimae oram vernabat. Cum hinc suspiciens videret consitas in propinquo monte pinus verticibus altis ad caelum inter nubila ardua erigi, his invidere coepit et sortem suam despicere. Cumque cultor pauperis loci huc accessisset, ipsum incessit questibus amaris: se languere in ea tristi, insalubri valle iam diu; brevi morituram, ni citius in monte transferat ex hoc solo praeter modum humido nimisque frigente. Agricola, stultus ipse, stultis eius precibus paruit et solo natali avulsam, licet valentem, in altum montis iugum transtulit. Illa triumphat se iam

putri humore carere, nec bufonum sordibus infici, nec ranarum contumeliis affici. Aquilonis autem flamine primo impulsa, deiicitur et per saxa praecipitans ruit.

713. Arbores Duae

Quidam habebat arbores duas frugiferi generis. Unam vase ligneo clausit ut ab ingruentis hiemis molestia sub tepenti fornice defenderetur. At alteram posuit in solo patente ut ferret, una cum aliis compluribus, vices quascumque pluviae, frigoris, et aestus. Quid autem accidit? Illa fructus praecoces et malos protulit; haec seros et bonos.

714. Olea et Malus

Malus arbor oleam irridebat quod exiguas procreasset baccas, cum ipsa et ingentia et quae vix sui rami ferrent mala produxisset. Sed vehementi extorto vento, cum pomorum onere, tum vi turbinis, et poma fere cuncta ceciderunt et rami confracti sunt; olea autem illaesa permansit. Tunc secum malus “Quanto,” inquit, “melius mihi fuisset minores fetus edidisse.”

715. Olea et Ficus

Ficum irridebat olea, quasi ipsa quidem omni tempore florida, ficus vero cum tempore mutaret florem. Quo cum aliquando nix caderet, comantem deprehendens oleam ramisque insidens, una cum pulchritudine et ipsam simul corrupit. At huic, cum nudam destitutamque foliis inveniret, in terram defluens non obfuit.

716. Olea et Cucurbita

Olea admirabatur cucurbitam, iuxta se natam, brevi tantum crevisse, ut se esset longe altior, quae annos quamplurimos in eodem fuerat loco. Sed cum adventante hieme cucurbita exaruisset, “Minime,” inquit olea, “cito crescentibus est invidendum, quibus tam cito est paratus interitus.”

717. Nux Secundum Viam Sata

Nux, secundum viam sata, plurimum ferebat fructus. Cum autem a populo praetereunte saxis et fustibus impeteretur, ut iuglandes decidentes carperent, “Me infelicem,” exclamabat, “cui gratias tam acerbas referunt ob fructus iucundos quos ex me percipiunt.”

718. Morus et Latro

Latro, cum in via quemdam interfecisset et ab iis qui forte aderant impeteretur, protinus, eo relicto, fugam corripuit. Nonnulli autem qui ex adversa parte veniebant, cum ei obviam incidissent ipsumque rogassent cuiusnam rei causa pollutas sanguine manus haberet, ille se e moro delapsum respondit. Vix ea fatus erat, cum ceteri qui pone insequebantur supervenere, eumque comprehensum iuxta morum quamdam humi stravere. Tunc morus “Ego quidem,” inquit, “quod ad tui necem inserviam, haud aegre fero; ita enim poenas illius quem interfecisti iuxta me sumunt.”

719. Platanus et Viatores

Viatores, aestatis tempore nimio meridiani solis calore laborantes, cum platanum vidissent, sub eam confugerunt, eiusque strati sub umbra recubuerunt. Ad eam deinde conversis oculis, “Quam est inutilis,” inter se aiebant, “haec arbor hominibus et infructuosa!” Illa vero respondens, “O vos,” inquit, “ingratos, qui meo adhuc beneficio fruentes, inutilem me infructuosamque vocatis.”

720. Platanus et Xerxes

Ridendus profecto Xerxes est quod, cum vidisset proceram platanum, integrum diem ibi commoratus est, nulla postulante necessitate, et castra posuit in solitudine circa platanum. Sed et multiplicem ac pretiosum ornatum ex ea suspendit torquibus armillisque ramos veneratus et curatorem ei reliquit, quasi custodem et propugnatorem amasiae. Sed quid tandem ex his ad arborem emolumenti

rediit? Nam ornatus, nihil ad ipsam pertinens, frustra perpendit neque ullum momentum ad arboris pulchritudinem attulit. Nam in arboribus commendantur generosi rami, coma densa, stirps firma ac stabilis, radices in profundum actae, ventorum agitatio, et umbrae ex iis procedentis amplitudo. At chlamydes Xerxis et aurum barbari, reliquaque munera neque ad platani neque ad ullius alterius arboris generositatem quicquam faciunt.

721. Arbor Pusilla

Arbores complures in eodem creverant loco procerae, rectae enodesque, praeter unam humilem, parvam nodosamque, quam ut deformem pusillamque ceterae ludibrio habere solitae erant. Aedificaturus domum, loci dominus iubet omnes excidi, praeter eam quae brevitate et deformitate sua aedificium indecorum redditura videbatur. Ceteris excisis, deformis haec secum dicebat, “De te non amplius querar, Natura, quod me turpem genueris, cum formosis tam magna videam imminere discrimina.”

722. Abies et Dumus

Fertur olim abies despicere dumos. Iactitat se proceram esse, locari in aedibus, cum velo stare in navibus; dumos autem humiles, viles, nulli usui idoneos. Quorum quidem tale fuit responsum, “Tu sane, abies, tuis gloriare bonis, et nostris insultas malis. Verum nec tua refers mala, et nostra praeteris bona. Cum tu sonanti detruncaris securi, quam velles tum nobis, qui securi sumus, esse te similem!”

723. Ulmea Trabs et Boves

Trabs ulmea de bobus conquerebatur, dicens, “Ingrati, ego multo tempore meis vos frondibus alui; vos vero me nutricem vestram per saxa et luta trahitis.” Cui boves, “Gemitus suspiriaque nostra et stimulus quo pungimur te docere possunt quod te trahamus inviti.” Ignovit trabs.

Haec nos docet fabula ne in eos excandescamus, qui non sua sponte nos laedunt.

724. Salix et Cunei

Securis cedebat salicem et ex truncis sectis cuneos faciebat, quo facilius salicem scinderet. Intellegens salix et videns in quem usum ac finem sic in minuta caederetur, eiulans dicebat, “Heu me infortunatam! Non satis est me scindi, nisi etiam de corpore meo cunei fierent in meam ruinam?”

725. Arbores et Homo

Securis cum facta esset, homo postulabat ab arboribus ut illi manubrium darent de ligno quod firmum esset. Quo facto, homo manubrium sumpsit, et, aptata securi, ramos ac robora magna et omnia quae voluit incidit. Tunc fraxino quercus ait, “Digne et bene patimur, qui roganti hosti nostro, ut caeci, manubria dedimus.”

Ideo quis ante cogitet, ne hosti aliqua arma praestet.

726. Ligna Regem Eligentes

Convenerunt ligna ut eligerent super se regem, et dixerunt olivae, “Impera nobis.” Quae respondit, “Non possum relinquere pinguedinem meam ut inter ligna promovear.” Dixerunt igitur ligna ad ficulneam, “Impera nobis.” Quae respondit, “Non possum relinquere dulcedinem meam ut promovear.” Dixerunt ad vitem, “Esto rex noster.” Quae respondit, “Non possum deserere vinum meum, quod laetificat Deum et homines, ut praesim vobis.” Dixerunt denique ad ramnum, “Veni et impera nobis.” Respondit ramnus, “Si vero me regem constituistis, venite et sub umbra mea requiescite. Si vero nolueritis, egrediatur ignis de ramno et devoret cedros Libani.” Ecce lignum minus validum regnare concessit et, nisi regnet, comminatur. Meliora vero et validiora regnare renuunt, et suo statu contenta sunt.

727. Rubus et Hortulanus

Rubus dixit aliquando hortulano, “Si mihi esset quispiam qui curam mei gereret, meque plantaret in medio horti et irrigaret me et coleret me, utique reges desiderarent me et aspicerent florem meum et fructum meum.” Unde accepit eum plantavitque in medio horti in optimo terrae, irrigavitque eum. Ac invaluerunt spinae eius et germina ac rami eius supra omnes arbores quae circum ipsum erat et operuerunt folia eius terram et impletus est hortus ab eo, et multitudine spinarum eius neque potuit quisquam accedere ad eum.

> *Hoc significat eum qui conversatur cum homine malo; hunc enim quotiescumque honoras, multiplicantur malitiae eius et rebellis est et quotiescumque bene facis ei, male facit tibi.*

728. Rubus et Vulpes

Vulpes, cum sepem transiliret ac iam in praeceps casura esset, rubum, ut sibi auxilium ferret, apprehendit. At, eius pedes cum spinae transfigerent ipsaque graviter sauciaretur, ad eum conversa exclamavit, “Vae mihi miserae, quae, ut opem ferres, ad te confugi; tu vero me peius perdidisti.” Cui rubus “Errasti, amica,” inquit, “me apprehendere volens, qui omnes apprehendere soleo.”

> *Fabula demonstrat ita quoque stultos eos esse homines qui ad eorum auxilium confugiunt quibus potius nocere natura insitum est.*

729. Rubus et Ovis

Pluvia imminebat; rubus sic ovem hortatus est, “Procellam non vides? Quid restitas? Huc celeriter in meos sinus te recipe, ne vellera tua tam nitida permadescant.” Bidens, diffidere cuiquam nescia, paruit et, ut frondibus rubi densis protegeretur, inter spinosa huius bracchia se condidit. Pluviam quidem vitavit at hospitis avari beneficium pretio magno constitit; quippe nullo modo

abire iam potuit, quin lanae id omne relinqueret, quod ab improbis brachiis semel apprehensum fuisset.

Fabula ad patronos rapaces pertinet.

730. Rubus et Arbores

Punica et malus arbores, de pulchritudine contendentes, in graves inimicitias et simultates inciderant, continuis sese conviciis mutuo exagitantes. Audiebat dissidentes rubus et, praeclaras arbores mutua sese lacerare ac proscindere maledicentia deplangens, accessit ad eas, modum reconciliationis si posset, positurus. “Nunquid satis,” inquit, “et plusquam satis decertatum est inter vos? Si vos, frugiferae et humano generi tam utiles, vos ipsas proscinditis, quid facient inimici vestri?” His et aliis in concordiam redeuntes, rubo gratias egerunt, inter se agnoscentes opem consiliumque vel ex humillimis et nullius momenti personis exspectari posse ac recipi, quia amicus nullus aestimandus est parvus.

731. Harundo et Quercus

Disceptabant de robore quercus et harundo. Quercus exprobrabat harundini mobilitatem et quod ea ad quamvis exiguam auram tremeret. Harundo tacebat. Paulo post, procella furit et quercum, quae ei resisteret, radicitus evellit; harundo autem, quae cederet vento, locum servat.

732. Harundo et Avicula

Harundo aegre ferebat cum ceterae non solum arbores, verumetiam herbae, interdum nidos avium sustinerent, se eo honore privari. Rogavit ergo aviculam quandam ut ipsa nidificaret. Cui illa “Facerem,” inquit, “nisi instabilitati tuae diffiderem. Nolo enim filiorum meorum domum in fundamento tam instabili collocare.”

733. Iuncus et Canis

Contigit quod canis voluit facere rusticitatem suam super congregationem scirporum, et unus iuncus bene stimulavit posteriora ipsius. Et canis recessit longius et super iuncos latravit. Dixit iuncus, “Melius volo quod latres me a longe quam coninquines me de prope.”

734. Sirpiculi et Ranae

Familia quaedam ranunculorum in paludis sirpiculis annos multos habitaverat et diligenter sirpiculos, ut tecta sua, conservarant et integros praestiterant. Horum posteritas petulantior et lascivior tenellos sirpos arrodere et vastare coepit. Hanc iniuriam ferebant aegre sirpiculi et primum precari incolas suos ne se, a maioribus ipsorum defensos et custoditos, perderent. Deinde cum precibus parum proficerent cumque illos ranunculi irriderent et dicerent maiores suos bonis suis uti nescivisse, sirpiculi sceleratam vim alumnorum suorum confirmatis animis pertulerunt. Sed non longe abfuit vindicta et scelerata vis in capita ingratae sobolis celeriter convertit, nam, erosis sirpiculis et loco iam aperto atque patente, mox ranae visae, absque negotio a volucribus et hydris arreptae et distractae fuerunt.

735. Vitis et Hircus

Cum vitis pampinos ederet, eos arrodebat hircus. Quod dum faceret, ita eum increpat vitis, “Cur tu mea folia carpis? Nonne satis superque herbarum?” Cum autem vitem depascere pergeret hircus, “Quantum potes,” inquit vitis, “mihi noceto; ego tamen vini tantum tulero, quantum, te mactato, ad libandum diis satis fuerit.”

736. Hedera et Murus

Hedera muro blandiens dixit, “Permitte ut ego, fragilis et nescia me sustinere, tibi tam stabili et tam firmo adhaeream.” Murus haud renuit. At postmodum, stirpibus hac illac furtim permeantibus, ille hanc lapidum

compaginem laxare et cementa solvere queritur; herum rogat communem consortium disrumpere velit et plantam nocivo foedere sibi iugatam procul eiicere. Herus muri querentis preces audit et approbat, et noxias stirpes revellere tentat. At, cum per omnes muri cavos penetrassent et internodiis tenacibus haererent, intellegit eas iam revelli non posse, quin ipse murus vel inclinetur, vel etiam ruat. Ideoque timens ne damnum maius eveniat, commercium malum dirimere non audet.

Fabula hunc monet quisquis temere sinit se vinculo societatis arcto alligari.

737. Spica Glorians

Cum agricola falcem messibus iam pararet, spica caput erectum ad auras tollebat. Hinc gloriatur, et sorores ceteras, humum spectantes curvo capite, despicit. Quarum una ait, “Si tibi, ut nobis, granis refertum esset, hoc caput non ita tolleres.”

Superbia in capite vacuo laxe habitat.

738. Rosa et Amarantus

Iuxta rosam enatus fuerat amarantus. Hanc ergo ille admiratur et beatam praedicat, quae aspectu adeo pulchra esset, hominibusque pariter ac diis honorata, non minus ob odorem quam formam. Cui illa, “Ego quidem, O amarante, ad breve tempus floreo vivoque, et licet me nemo decerpet, mea tamen species decora cito interit; tuae vero venustatis elegantia perennis semperque eadem.”

739. Sterquilinium et Poma

Forte sublatum cum pomis sterquilinium subita aquarum eluvione fluitabat in eo loco ubi dudum iacuerat. Tum se illud et in aquis vehi et ferri cum pomis praeclarum existimans, “Quam scite nos,” inquit, “poma natamus.” Sed paulo post, umiditate dissolutum, in aquis evanuit.

740. Sol et Stellae

Stellae certabant de principatu; suum quaeque splendorem laudabat. Dum certant, apparet sol; omnes evanescunt.

741. Sol et Ventus

Sol et Aquilo certabant uter sit fortior. Conventum est experiri vires in viatorem, ut palmam ferat qui excusserit viatoris manticam. Boreas horrisono turbine viatorem aggreditur. At ille non desistit, amictum gradiendo duplicans. Assumit vices Sol qui, nimbo paulatim evicto, totos emolitur radios. Incipit viator aestuare, sudare, anhelare. Tandem progredi nequiens, sub frondoso nemore, obiecta mantica, resedit, et ita Soli victoria contingebat.

742. Sol, Mons, et Vallis

Mons, inter nubila caput aridum condens, astris celsitudinem suam iactabat, interea vallis proximae sortem dolens et tanto contemptui obnoxiam miserans. Sol, curru micante diem revehens, audit et superbiam inanem sic reprimit, “Insane, quid habes cur ipse possis tantum tibi placere? Quid de tuo iugo excelso gloriaris? Illud idem est horridum et inhospitale. Contra, haec vallis humilis iacet et in umbra latere amat, densis saltibus clausa; irrigata tamen rivis uberibus et flumine etiam, colonos plurimos habet, quibus almam opum idonearum copiam sufficit et simul felicitatem certam singulatim dividit.”

> *Fabula hos monet qui, cum de gradu supremo ceteros despiciant, nemini prosunt.*

743. Phoebus et Terra

Sol Deus, scilicet qui dicitur Phoebus, accepta uxore, genuit alium Solem. Cum autem multi gauderent eo quod duos Soles haberent, Terra lugebat, et mirabantur alii, quaerentes a Terra cur non gauderet. Quibus Terra

respondit, “Unus Sol solus iam aliquando siccabat me quod fructificare non poteram; quanto magis duo Soles me siccabunt et sterilem reddent!”

Quam fatui qui exsultant dum filii nascuntur dominis suis! Non enim gaudendum est de dominorum pluralitate.

744. Phoebus et Iris

Tot variis coloribus refulgens species Irim superbam fecerat, sed postmodum, cum ex superba insolens facta fuisset, illa prae se Phoebum contemnere coeperat cui, quamlibet nitido, color inesset unicus. Phoebus sentit et illam respicere desinit, ut superbiam inanem reprimat; simul et color eius et decor omnis vanescit.

Hac fabula monentur qui eos vituperant quorum beneficio honores suos debent.

745. Luna et Mater

Luna matrem quondam fertur orasse suam ut sibi vestem texeret convenientem corpori suo. Cui illa responderit peti a se rem quam praestare nequeat, quod nulla vestis eius corpori convenire posse videatur, quae modo plena esset et globosa, modo velut in orbem dimidiari, modo quasi in circulum extenuari, postremo etiam excavari et evanescere soleat.

746. Mare et Agricola

Cernens agricola navem, refertam nautis, iam se primum incurvis tinguentem fluctibus, “O pelagus,” inquit, “utinam fuisses numquam secatum rate, immisericors elementum inimicumque mortalibus!” Audivit mare, voceque sumpta muliebri, “Ne me calumnieris,” inquit, “equidem malorum omnino vobis non sum illorum causa, sed auctores venti, quorum ego iaceo media. Quibus absentibus, si me spectes ac naviges, me tua mansuetiorem terra praedicabis.”

Res plurimas, quae sunt bonae, prava ingenia in peius vertunt, ita ut videantur malae.

747. Mare et Fluvii

In unum convenerant fluvii, mare ut accusarent quod se, simul atque eius intrassent aquas, dulces quamvis essent et potui apti, falsos et ad bibendum redderet inutiles. Quae mare cum audiisset, aegre ferens innoxium se culpari, “Nolite,” inquit, “aquas intrare postea meas, ne corrumpamini sale.”

748. Mare et Amnis

Amnen interrogat mare, quando finem influendi facturus sit. Cui amnis, “Cum tu admittendi.”

Liberalitatis sunt perpetua beneficia.

749. Amnis et Fons

Amnis quidam suum conviciis fontem lacessebat ut inertem, quod immobilis staret nec ullos haberet pisces. Se autem plurimum commendabat, quod optimos crearet pisces et per valles blando murmure serperet. Indignatus fons in amnem velut ingratum undas repressit. Tunc amnis, et piscibus et dulci sono privatus, evanuit.

Haec fabula eos notat, qui bona quae agunt sibi arrogant, non Deo attribuunt, a quo ceu largo fonte nostra bona procedunt.

750. Fontes Duo

Fontes duo erant, eodem monte prognati; forte unus ad laevam exsilit et pratum in infinitam magnitudinem diffusum adspicit et inquit, “O frater mi, vale! Huc sequor quo haec nova rerum species iucunda vocat.” Hinc simul diversus abit et pratum petit; dum eius pulchritudinem variam late percurrere vult, in rivulos plures se dividit, at exhaustus solum avidum satiat et inter florum delicias tristes perit. Alter interea, prudentior, alveo se continens,

eodem labitur quo semel receptus est. It quidem inter asperas cautes et cursus habet difficiliores et parum gratos. At nihil sui amittit; immo, e collibus propinquis catervam aquarum decidentem recipiens, suas auget. Mox etiam ad ipsum hinc inde rivi confluunt et fit amnis ingens, ipse qui rivus fuit.

751. Membra et Venter

Membra quondam dicebant ventri, “Nosne te semper ministerio nostro alemus, dum tu summo otio frueris? Hoc non diutius faciemus.” Dum igitur ventri cibum subducunt, corpus debilitatum est, et membra sero invidiae suae paenituit.

752. Oculi et Mel

Cum oculi se putarent magni esse pretii, os autem viderent aliis omnibus frui, atque etiam melle dulcissimo. Indignati sunt accusaruntque hominem. Qui postquam et illis mel indidit, senserunt morsum lacrimaruntque, asperum illud et iniucundum ducentes.

753. Cera Lateri Invidens

Cera, videns se mollem et tractabilem, nimis dolebat conditionis suae vicem cupiebatque lateris cocti soliditate donari. Quod ut consequeretur, iecit se in fornacem ardentem. Sed, momento liquefacta et igne consumpta, documento fuit quemque in suo statu manere debere nec appetere quod sibi a Natura fuit negatum.

754. Lucerna et Ventus

Lucerna, affatim plena oleo, vesperi gloriabatur coram adstantibus se lucifero fulgentiorem esse, cunctis quae mitteret lucem splendidissimam. Sed ventus sibilavit, subitoque fuit exstincta, flabello flatus ventilata. Quam rursus accendens aliquis “Debilis,” ait, “lucernae spiritus erat. Astrorum vero lux non emoritur.”

Docet nos fabula nobis non insolescendum esse rebus vitae prosperis, bene qui noverimus nihil esse stabile.

755. Libellus et Iudex

Iudex libellum spurcum et impium damnaverat et flammis ultricibus concremari iusserat. Libellus superbus, qui nitidus per sophistarum manus amicas prius volitaverat, nunc sordidatus supplicium depellere et misericordiam excitare tentat, dictitans se nil facinoris commisisse; hominem flagitiis turpibus contaminatum omnia excogitasse et perpetrasse. At querela vana iudicem non movet. “Auctor sacrilegus aut profugit, aut latet,” inquit, “sed tu teneris et poenam dabis. Nam qui minister sceleris est, scelus facit.”

756. Lyra et Homo

Homo rudis, asper, horridusque, et musicae plane imperitus, in lyram forte incidit. Statimque digitis protervis ausus est chordas tinnulas increpare. Illae sonos tali artifice dignos, ineptos scilicet, et miserabiles reddidere. Tum indignatio gravis in eius animum subiit et “Quales,” inquit, “esse iudices dicam, qui contendunt te, O inepta, locum nec ultimum habere inter organa suavissima?” “Si me,” lyra refert, “uti nosses, tu quoque, pignore quovis, id ipsum contenderes.”

757. Turbo et Puer

Puer, dum turbinem exercet verbere torto, “Cur te pulsare cogor,” inquit, “ut motu idoneo agitere?” Turbo respondet, “Statim iners iacerem, nisi plagae animos darent.”

Multis necesse est vexari ne torpeant.

758. Gladius in Via Iacens

Gladium viator invenit in via, dum ambulat, iacentem, quem interrogavit, “Quis te perdidit?” Cui tale contra responsum dedit, “Me quidem unus, ego vero multos.”

759. Ensis et Vomer

“Procul hinc recede,” dixit ensis vomeri, “ne consortione sordida me inquines.” At ille contra ait, “Cur me sic despicis, superbe? Ferrum tibi pater est; est et mihi. Deinde an te latet quantum mihi debeas? Nam si, otiosus, solum non proscinderem ut fruges nascantur, quae tuam herilem manum reficiant, nonne illa mox languesceret? Quid tunc de te fieret? Forte turpem situm duceres, in angulo tenebricoso iacens.”

> *Agricola eodem prorsus luto ac miles confictus est, sed ille alteri praestat quod operam magis utilem nobis praebeat.*

760. Vomeres Duo

Vomer iacebat, penetrabili rubigine obsitus ut ea paene adesum diceres. Aliquando vomerem alterum, fratrem suum, de massa eadem, opificis eiusdem manu procusum, post labores solitos ex agro reductum adspexit, nitentem et splendidum, et “Unde, frater, quaeso,” inquit, “sic nites, sic splendes?” Ille “Bonum quod vides in me,” ait, “exercitatio id omne mihi dedit.”

761. Vectis et Murus

Murus, violenter a vecte concussus, “Quid ita,” aiebat, “me exagitas, nulla a me offensus iniuria?” At vectis “Non ego,” inquit, “huiusce rei causa sum, sed qui validis ictibus me retro impellit.”

762. Lima et Serpens

Serpens quidam in vicini sui tabernam ingressus esse dicitur ut cibum peteret, neque quicquam quod roderet

invenisse, nisi limam. “Te miserum,” inquit haec, “atque inscium! Quidnam tibi vis? Duriorem quam te rem adgrederis. Prius omnes tibi dentes, stultissime, ruperis quam mihi vel minimum abrades. Sola vetustas me exedet.”

763. Ollae Duae

Duae ollae stetere in ripa; altera erat lutea, altera aerea. Utramque tulit vis fluvii. Luteae collisionem metuenti, respondit aerea ne quid timeat; sese enim, ne collidantur, satis curaturam. Tum altera “Seu me,” inquit, “tecum seu te mecum flumen colliserit, cum meo utrumque fiet periculo. Quare certum est a te separari.”

> *Satius est vivere cum socio pari quam cum potentiori. A potentiori enim potest esse periculum tibi, non illi a te.*

764. Navis et Nauta

Navis, onere imposito, cum ingemisceret, nautam rogavit ut ipsam levaret antennis suis, rudentibusque, armamentisque ceteris, dictitans sic omnem cursum magis celerem sibi et expeditum fore. At ille “O stulta, quid petis?” ait; “maxime iuvabit id quod impedimentum putas.”

> *Fabella quorumdam hominum stultitiam notat, qui, dum volunt sese liberos praestare, res abiudicant maxime sibi utiles.*

765. Remi et Clavus

Remi quondam clavum increpare coeperant; dictitabant hanc inertiam eius esse quod, verberandis fluctibus, abstineret et staret semper fixus. Dum sic tumultuantes obstrepunt, ratis appropinquavit ad saxa quaedam occulta. Remi damnum sentiunt; unus et mox alter, et mox tertius illiditur. At clavus, motu levi reflexus, ratem omni periculo liberat, et “Discite,” inquit, “quam non sint inutiles qui providentes rem publicam gubernant.”

766. Iuppiter et Apollo

Iuppiter et Apollo de iaculandi arte contendebant. Phoebus itaque cum arcum intendisset sagittamque emisisset, Iuppiter tantum spatii uno gressu confecit quantum Apollinis emissa sagitta.

> *Sic qui cum praestantioribus contendunt, non modo eos non assequuntur, sed et risum pariunt sibi.*

767. Iuppiter et Vulpes

Versutiam et prudentiam vulpis admiratus Iuppiter, imperium ei in ceteras feras tradidit. Scire autem cupiens an, mutata Fortuna, commutasset etiam tenacitatem, in lectica dum vulpes vehitur, crabronem ante eius oculos demisit. Illa, continere sese non potens, e lectica confestim desiliens, eum praetervolantem turpiter comprehendere conata est. Iuppiter vero, ei succensens, ordini priori rursus reddidit.

> *Improbi homines etiamsi ad dignitates maximas evecti sint, naturam non tamen mutant.*

768. Iuppiter et Asini

Dolentes olim asini quod continuo onera ferrent atque in aerumnis vitam traherent, legatos ad Iovem misere, solamen aliquod laborum petentes. Quod cum Iuppiter fieri non posse ostendere vellet, tunc eos, inquit, a laboribus vacuos fore cum mingendo fluvium fecerint. Illi, id verum eum dicere rati, iam tempore ab illo, ubi suam aut aliorum urinam vident, ipsi quoque mingere solent.

769. Iuppiter et Olitoris Asinus

Asinus olitoris, aegre sustinens laborem quo herus eum premebat, conqueritur de eo apud Iovem; supplicat alium sibi dari. Exaudit Iuppiter; iubet figulo veneat. Mutatur herus, sed non minuitur labor; immo augescit; semper lutum, tegulae, lateres, imbrices, dorso portandae. Iterum ad Iovem; Iuppiter, oratoris importunitate victus, dat

coriarium. Statim expertus eum, omnibus quos unquam habuerat longe crudeliorem, apud se lamentans dicebat, “Heu me miserum, ut omnia mihi in deterius cedunt. Nam in eum incidi dominum, qui vivo non parcit, nec mortuo; ipse enim ubi corpus meum flagris exhauserit, in fine excoriabit.”

770. Iuppiter et Piscis Alatus

Primo hic piscis nullas alas habebat; cum autem invidus esset, Iovem geminas alas rogavit, maris enim hostes sic fugere posse. Statim pinnae crescere incipiebant et mox alarum officio fungi poterant. Primo natura nova huic magnopere placuit et comites, quos in aqua reliquerat, despiciebat. Pericula nova novas naturas sequuntur. Nam in aere obnoxius magnis volucribus erat, qui semper insequebantur neque ullam quietem dabant. Itaque viribus mox fatigatis aquam repetebat. Tum Iovem sic allocutus est, “Donum tuum revoca!” Respondit autem deus, “Tibi alas dedi, quae, ut ego pro certo habui, tibi multum damni ferre debebant. Tua tamen superbia hanc poenam bene meretur. Id quod pro dono rogavisti, pro poena servare necesse est.”

771. Iuppiter et Canes

Canes legatos olim misere ad Iovem, meliora vitae suae tempora oratum. Tum vero, ut viderunt Iovis magni vultum, timentes, totam regiam concacarunt. Iuppiter magnus vetet illos dimitti; interea canes mirati sunt sibi legatos non reverti. Aestimantes aliquid turpe commissum a suis et timentes ne rursus aliquid simile accidat, odore multo canibus anum replent. Mandata dant; legati mittuntur; statim abeunt. Aditum rogantes, continuo impetrant. Tum consedit Deorum Genitor maximus quassatque fulmen; omnia tremere coepere. Canes repente cacant, odore cum merdis mixto. Ita etiam nunc canes legatos suos exspectant, et si quis videt canem novum venire, culum olfacit.

772. Iuppiter et Nux

Nux, ramis ornata in orbem circinatis et ad cacumen suum sensim sese componentibus, habebat quod satis recrearet intuentium oculos adspectu lepido, at sterilis erat. Iovem igitur hoc orabat ut ex opprobrio ipsam eripere vellet. Precibus importunis cedens, Iuppiter fecunditatem tribuit et, sortem futuram recogitans, “Nunc quod impetrasti te iuvat,” ait, “nunc, sed postea nocebit.” Etenim cum illa fructus et bonos et plurimos protulisset, feminae statim et viri, pueri et puellae miseram petunt fustibus saxisque, perticisve longis verberant.

773. Iuppiter et Serpens

Cum Iuppiter nuptias celebraret, animalia cuncta, suis quaeque pro viribus, ei munera obtulerunt. Serpens itaque, rosam decerptam ore ferens, ad Iovem accessit, qui simul ac eum vidit, “Ceterorum,” inquit, “omnium dona excipio, sed tuo ab ore nihil prorsus sumo.”

Fabula docet improborum gratias esse timendas.

774. Iuppiter, Bona, et Mala

Bona omnia a Malis, quod fluxa et caduca essent, accusabantur; quapropter sese in caelum receperunt. Mala vero Iovem interrogarunt quomodo inter homines versari deberent. Quibus ille respondit ut singula singulos invaderent, et modo hunc, modo illum attingerent. Hinc itaque Mala, cum prope nos degant, continuo homines premunt; Bona vero tardius e caelo descendunt.

775. Iuppiter et Dolium

Iuppiter, in dolio cum cuncta collegisset bona, id operuit et collocavit apud hominem. Homo autem ille, impotens sui et scire gestiens quid ibi lateret, operculo amoto, bona permisit abire Deorum ad domos, illucque volare, ac procul a terris sursum fugere. Sola autem remansit Spes, quam impositum repressit operculum. Idcirco Spes

mortalibus adest sola ac fugitivorum unumquodque bonorum pollicetur se tradituram esse nobis.

776. Iuppiter, Terra, et Mare

Olim Aesopus fabulator, otium agens, in navale ingressus est. Quem cum navium fabricatores vidissent et provocassent ut fabellam narraret, sic ille exorsus est: “Erat olim Chaos et Aqua. Iuppiter autem, cum Terram quoque, quae Mari obruta erat, expromere vellet, eam admonebat ut uno atque altero haustu Mare absorberet. Terra itaque, id opus aggrediens, primo quidem haustu montes emisit, secundo vero planitiem patefecit; quod si tertium quoque haustum addidisset et aquam absorbuisset, ars vestra inutilis esset.”

777. Iuppiter et Bubulcus

Bubulcus amiserat vitulum de armento quod custodire debebat. Tum ille silvas et solitudines omnes obibat et requirebat vitulum. Sed, multa opera et labore magno nequicquam asumpto, votum Iovi fecit se haedum illi caesurum, si esset sibi fur ostensus qui vitulum rapuisset. Ibi forte delatus in saltum, videt leonem a quo mandebatur vitulus. Ad cuius conspectum ingenti formidine percitus, bubulcus “Magne,” inquit, “Iuppiter, reperto vituli fure, haedum me tibi ex voto debere confiteor, sed nunc opimum bovem a me accipe, et ex illius vi atque unguibus me eripe.”

778. Iuppiter et Fundus

Rusticus quondam fundum colendum ab Iove conduxit hac lege ut ad ipsius nutum summus Iuppiter plueret, serena faceret, et auras mitteret. Ita deinde sedulo fundum colebat, Deo aera exhibente ad imperata nunc favoniis citum, nunc uvidum, nunc sudum. Sed seges sterilis aristis vanis rustici spem elusit. Subrisit Iuppiter et ait, “Vides, agricola bone, quid profecerint abs te institutus annus, me tibi semper parente. Nunc si placet,

videamus annum hunc proximum. Tu arato, sarrito, occato ut soles; me sine regere et arbitrio meo ventos ciere, et nubilum sudumque dare. Quam mea ratio tuae praestet faxo videas." Haec Iuppiter. Cui cum adnuisset rusticus, anno insequenti versus temporum ordo horrea vacua replevit. Omisit homo Deo praescribere, et cuncta quae ille praestat boni consulit.

779. Iuppiter et Agricola

Agricola conquerente quod oves universam segetem depopularentur, Iuppiter eis praecepit ut modeste depascerent. Quae cum praeceptis non obtemperarent, lupo iniunctum est ut oves moderate puniret. Sed pastore conquerente totum ovium gregem a lupo occisum, Iuppiter iratus venatori imperavit ut lupum perimeret, quod ille impigre est exsecutus.

> *Fabula indicat nullum immoderatum esse diuturnum.*

780. Iuppiter et Hominum Peccata

Iuppiter Mercurio imperavit ut omnium peccata in testula scriberentur ac in arca quadam reponerentur, ut, singulorum peccatis in unum collectis, iustas cuique poenas statueret. Sed cum testulae illae sint simul admixtae atque confusae, proinde fit ut haec cito, illa sero in Iovis manus incidat, si quando ipsi eas in arcam intendere placet. Non itaque mirari debemus, si improbi homines celeriter quidem iniurias inferant, tarde vero poenas luant.

781. Mercurius et Lignator

Lignator quidam iuxta fluvium suam amisit securim et plorabat. Mercurius autem, miseratus hominem, urinatus in fluvium, auream sustulit securim et an haec esset quam perdiderat rogavit. Illo vero non eam esse dicente, iterum urinatus argenteam sustulit. Illo vero neque hanc esse suam dicente, tertio urinatus illam ipsam sustulit.

Illo vero hanc vere esse deperditam dicente, Mercurius, probata ipsius aequitate, omnes ei donavit. Ille sociis omnia quae acciderant narravit. Quorum unus quidam, ad fluvium profectus, suam securim consulto demisit in fluvium et, plorans, sedebat. Apparuit igitur Mercurius et illi, et urinatus similiter auream securim extulit et rogavit an hanc amisisset. Illo cum gaudio et vere haec est dicente, perosus Deus tantam impudentiam, non solum illam detinuit sed ne propriam quidem reddidit.

782. Mercurius et Mulieres Duae

Mulieres olim duae Mercurium receperant hospitio inliberali et sordido, quarum una in cunis parvum habebat filium, alteri quaestus meretricius placebat. Ergo ut gratiam referret officiis parem, Mercurius abiturus et iam limen excedens ait, “Deum videtis; tribuam vobis protinus quod quaeque optarit.” Mater suppliciter rogat ut, quam primum, barbatum videat natum suum; moecha rogat ut quidquid tetigerit sese sequatur. Volat Mercurius; intro redeunt mulieres. Barbatus infans, ecce, vagitus ciet. Forte cum meretrix id rideret validius, umor (ut fieri solet) nares replevit; emungere igitur se volens, nasi longitudinem manu prendit traxitque ad terram, et ipsa, aliam ridens, ridenda extitit.

783. Mercurius et Piscatores

Ad nauseam usque saturi testudinum carne piscatores, cum etiam multum adhuc illius superesset, forte praetereuntem Mercurium ad suas epulas invitant. Qui, non ignarus, quippe deus, quo animo vocaretur, iussit suas ipsos testudines vel edere vel vomere, neque post sua demum fastidia convivas quaerere.

784. Mercurius, Homo, et Formicae

Olim navis cum navigantibus omnibus cum demersa fuisset, tantam cladem aliquis videns, iniustos Deos esse affirmabat quod nimirum unius tantum scelesti causa,

qui forte navem conscenderat, permulti eodem casu, licet omnis criminis expertes, perirent. Dum haec ille ait et secum quae evenerant repetebat, ingens formicarum multitudo circa eum venit, ut triticeas glumas quae illic forte aderant, ore traherent. A quarum una cum morsus esset, omnes illico conculcavit. At Mercurius ei apparens, virga percussit et “Posthac,” ait, “tales hominum iudices Deos esse patieris, qualis tu formicarum fuisti.”

785. Mercurius et Terra

Iuppiter hominem et feminam cum finxisset, Mercurio praecepit ut eos in Terram deduceret locumque indicaret ubi effodientes opes plurimas reportarent. Mandata exsequente Mercurio, Terra primo quidem impediit. Ut vero Mercurius, Iovem hoc aiens mandasse, ad id coegit, “Fodiant licet,” Terra ait, “quantum libuerit; cum fletu enim et eiulatu cuncta reddent.”

786. Mercurius et Statuarius

Mercurius, scire volens quanto in pretio apud homines esset, forma hominis induta, in statuarii officinam se contulit. In qua statuam Iovis conspicatus, eum, quanti ipsa veniret, interrogavit. Cui cum statuarius drachma dixisset, risit Mercurius et “Quanti,” inquit, “hoc Iunonis simulacrum?” Pluris illo dicente, Mercurius, sua quoque statua ibi visa, maximam de se ratus, utpote nuntio Deorum lucrique praeside, apud homines rationem haberi, quanti eam venderet ab artifice petiit. Tum statuarius “Si illas emeris,” inquit, “hanc tibi auctarium dabo.”

> *Hominem inanis gloriae studio captum fabula respicit, qui nullo in pretio est apud ceteros.*

787. Mercurius et Tiresias

Mercurius, scire volens an Tiresiae vaticinandi ars vera esset, ruri boves eius furatus, et urbem, formam hominis gerens, ingressus, apud illum hospitii causa divertit. Cum interim amissos fuisse boves Tiresiae nuntiatum esset,

ipse statim, aliquod de fure augurium capturus, Mercurio comite, domo egreditur eumque simul rogat ut, si quam avem praetervolantem videret, admoneat. Mercurius igitur aquilam primum a sinistra ad dexteram devolantem observasse se ait, sed Tiresias nihil eam sua interesse respondit. Deinde Mercurius cornicem in arbore insidentem adspexit quae oculos modo in caelum elevabat, modo humi vertebat; idque simul vati indicavit. Qui, statim respondens, “Mehercle, ista cornix,” ait, “per caelum terramque iurans, affirmat quod, si tu velis, amissos boves recepero.”

788. Mercurius et Viator

Viator, longum iter ingressus, Mercurio, si quid invenisset, se dimidium oblaturum votis promisit. Cum autem in peram amygdalis dactylisque refertam forte incidisset, eam laetus capit, nummos ibi inesse arbitratus. Sed, ea excussa, nihil aliud quam amygdalas dactylosque adinvenit. Quibus omnibus comesis, amygdalarum cortices et dactylorum nucleos collegit et in ara, quae ibi forte aderat, collocavit, aiens, “Habes, O Mercuri, quod votis promisi; interiora enim et exteriora inventae a me rei obtuli tibi.”

> *Fabula avarum respicit, qui ad avaritiae suae cupiditatem explendam Deos quoque decipere conatur.*

789. Mercurius et Canis

Stabat in via Mercurius quadrangularis, imus cui subiacebat lapidum acervus. Accedens canis “Primum, salve,” inquit, “Mercuri; tum inungere te volo, nec sic Deum praeterire eumque palaestritam.” Cui Deus, “Si mihi hocce, quod adpositum est, non linges oleum, nec imminxeris mihi, gratiam habebo tibi. Neque me amplius honorare velis.”

790. Minerva et Naufragus

Dives quidam Atheniensis olim cum aliis nonnullis navigabat. Tempestate autem ingenti exorta, subversaque navi, reliqui omnes se natatu servarunt. Sed Atheniensis, subinde Minervam invocans, sescenta ei promittebat si ex undis eriperetur, cum adnatans ex naufragis unus "Cum Minerva," inquit, "tu quoque manus move."

Qui in calamitates incidere, necesse est pro se laborare, ac deinde Deum quoque, ut auxilium afferat, invocare.

791. Minerva et Hercules

Per arctam viam Hercules incedebat in qua, cum aliquid, malo simile, humi positum vidisset, omni vi diffringere conabatur. Sed cum illud duplo maius factum animadverteret, maiori nisu institit et clava atterere studebat. At mirum, arbor illa repente in immanem magnitudinem excrevit totamque viam obstruxit. Quapropter, clava abiecta, mira rei novitate perculsus ac stupefactus, restitit. Sed Minerva, illi apparens, "Desine," ait, "mirari, frater. Quod enim vides, contentio et lis est, quae quidem, si quis sine pugna reliquerit, nullius momenti sunt, at contra si lacessiverit, magis magisque crescunt."

Fabula monet quod iurgia ac lites maxima damna ferunt.

792. Minerva et Olea

Divi olim legebant sibi quisque arborem. Quercum sibi legit Iuppiter; myrtus Veneri placuit; laurus Phoebo; Herculi populus. Minerva, rem admirata, "Cur," inquit, "steriles arbores in tutelam sumitis?" Causam Iuppiter dixit, "Scilicet indignum deo est tutelam suam fructu vendere." "Mihi quidem," respondit Minerva, "olea gratior est propter fructum." Tum Pater deorum atque hominum "O nata," inquit, "merito sapiens esse diceris. Stulta enim est gloria, nisi id, quo gloriamur, utile est."

793. Prometheus et Manticae Duae

De deis unus Prometheus fuit, et de primoribus etiam. Illum finxisse ferunt dominum animantium ex humo hominem, cui duas suspendisse dicunt manticas humanis refertas malis, anticam alienis, propriis posticam, eamque multo ampliorem. Idcirco homines in aliorum malis cernunt acutum, quae autem habent domi nesciunt.

794. Prometheus et Epimetheus

Cum fabricari in loco subter terram secretiore homines coepisset Prometheus, occupato quondam aliis illo rebus, venit in officinam frater ipsius Epimetheus et, conspectis operibus institutis, coepit et ipse, imitando fraternas effigies, aliquid formae humanae de luto componere. Quibus inter alias quas absolverat Prometheus, postea animatis etiam ipsis, magna fuit inter haec duo genera differentia, sicut et inter eorum posteritatem manet. Nam Promethei soboles acris est et prudens et sagax; Epimethei iners, stolida incogitans.

795. Prometheus et Homines

Prometheus, Iovis imperio parens, homines et bruta finxit. Iuppiter vero, cum bruta multo plura illis esse videret, ei praecepit ut, bruta nonnulla destruens, inde alios homines efformaret. Hinc dum ille mandatum exsequitur, accidit ut nonnulli forma quidem essent humana, mente vero et animo prorsus ferino.

796. Prometheus et Satyrus

Allatus est ignis in terras, nam Prometheus eum Iovi furto subtractum apportavit mortalibus. Tum igitur Satyrus delectatus splendore et claritate flammae, voluit amplecti ignem et osculari. Sed Prometheus monebat futurum hoc cum detrimento barbae ipsius. “Aduret enim hanc,” inquit, “et cum cruciatu exulcerabit mentum.” Ibi Satyrus reprehendit factum Promethei, qui malum splendidum mortalibus attulit. Prometheus vero docuit

malum non esse, dicens "Nam urit quidem ignis, sed lucem etiam atque calorem suppeditat, cum ad vitae iucunditatem, tum omnium artium usum et opificia, si quis illo uti recte sciat."

Fabula docet exquirendum usum verum in rebus omnibus, ne perversa usurpatione damna nobis accersamus.

797. Prometheus, Leo, et Elephantus

Leo cum Prometheo saepe querebatur quod se magnum atque pulcherrimum cum fecisset, gallum tamen ipse timeret. Sed Prometheus "Quid," ait, "me temere accusas? Quae facere poteram, ex me omnia prorsus habes, sed tuus est animus qui ad hoc solum debilitatur." Leo itaque se miserum aiebat ac demum omnino mori desiderabat. Qua in sententia cum esset, forte in elephantum obvius incidit, eumque compellans, secum sermones serere coepit. Sed eum continuo aures moventem cum vidisset, quid hoc rei esset interrogavit. Cui elephantus, cum forte culex prope ipsum volitasset, "Vides," inquit, "hoc tam parvulum susurrans animal? Si in meam aurem irrepserit, ego repente morior." Tum leo, "Quid igitur mihi mortem expetam, talis qui sum, ac tanto elephanto beatior, quanto gallus culice maior est?"

798. Apollo et Vir Facinorosus

Quidam vir facinorosus se contulit Delphos, tentaturus Apollinem, sub pallio habens passerculum quem pugno suo tenebat. Et accedens ad tripodas, eum interrogabat, dicens, "Quod in mea dextra habeo, vivitne, an est mortuum?" (prolaturus passcerculum vivum, si ille respondisset mortuum; rursus prolaturus mortuum, si respondisset vivum, etenim statim eum occidisset clam sub pallio priusquam proferret). At Deus, hominis calliditatem subdolam intellegens, dixit, "O consultor, utrum mavis facere facito - etenim est penes te - et proferto sive vivum, sive mortuum, quod habes in tuis manibus."

Haec fabula innuit nihil latere neque fallere mentem divinam.

799. Venus et Ancilla

Turpem ac male sordidam ancillam quidam ardebat suam et poscenti praebebat cuncta paratissime. Quae, abundans auro tenuemque filo trahens circa suras purpuram, quavis occasione pugnam dominae familias conserebat. Venerem autem, utpote felicitatis auctorem incensis lychnis honorabat et nulla non die sacrificans, precabatur, supplicabat, rogabat, donec tandem ambobus una dormientibus adstitit per somnos Dea et, ancillae visa ante oculos, “Ne mihi gratiam referas quasi te pulchram fecerim! Isti,” inquit, “succenseo cui pulchra videris.”

800. Ceres et Rusticus

Impetraverat a Cerere rusticus quidam, ut triticum absque aristis nasceretur, ne metentium triturantiumque manus laederet. Quod ubi maturuit, a minutis avibus depastum est. Tum rusticus “Quam digna,” inquit, “patior, qui, parvae commoditatis causa, emolumenta quam maxima perdidi.”

801. Serapis et Parricida

Decubuerat ad ruinosum parietem quidam facinoribus parricidii pollutus, ut ibi somnum caperet. Huic oblatus per quietem Serapis, monuit eum ut fugeret atque discederet et alibi obdormisceret. Paruit ille et surrexit atque abiit, cum statim paries ille corruit. Mane gratias agens hic diis ob conservatam ab ipsis vitam suam cum gaudio rem divinam fecit, quasi parricidae numini divino cari essent. Rursum autem Serapis dormienti suam speciem ostendit et “Censesne tu,” inquit, “sceleste, mihi curae esse improbos atque malos? Immo si tu nunc isto pacto obiisses mortem, fuisset ea singularis doloris et infamiae expers. Quam ideo nunc effugisti, quia servaris crucis merito supplicio.”

802. Momus Iudex

Iovem Neptunumque et tertiam insuper Minervam contendisse ferunt inter se quis pulchram aliquam rem faceret. Facit Iuppiter animal pulcherrimum, hominem; Pallas hominibus domum; Neptunus taurum. Iudicem sibi Momum elegerunt (adhuc enim inter Deos habitabat) qui, prae nativa indole cunctos odio prosequens, principio statim taurum culpavit quod oculis inferiora non gestaret cornua - ita enim recte cernens iceret; hominem, quod pectus illi non esset valvis instructum et adapertile ut proximum inspiceret quid agat consilii; domum, quod ferreae fundamentis non subiicerentur rotae, aliis idoneae locis permutandis, cum domini abirent peregre.

Tenta facere aliquid, nec iudex sedeat invidia;
Momo nil omnino placitum est.

803. Pluto et Hercules

Hercules, caelo receptus propter virtutem, cum Deos gratulantes persalutasset, oculos avertit Pluto (qui Fortunae est filius) veniente. Pater causam quaesivit. "Odi," inquit, "illum, quia malis amicus est simulque, lucro obiecto, cuncta corrumpit."

804. Hercules et Rusticus

Rustici aratrum haeret in profundo luto. Mox prostratus, Herculem implorat, cum statim vox a caelo auditur: "Inepte, flagellato equos et ipse totis viribus umerisque annitere rotis! Et deinde Herculem invocato! Tunc enim tibi propitius Hercules aderit."

Fabula innuit quod otiosa vota nihil prosunt;
iuva temet, et ipse te adiuvabit Deus.

805. Sanctus Petrus et Rusticus

Asinus cuiusdam rustici in fimum cecidit. Rusticus supra herbam discubuit, clamans, "Petre, succurre asino meo."

Petrus percutiens rusticum ait, “Surge, piger, et asino tuo primo appone manu, et coadiuvabo te.”

806. Sancti Martini Avis

Quaedam avis dicitur Sancti Martini, parvula, ad modum reguli. Haec graciles habet tibias ad modum iunci et longas. Contigit quod, sole calente, circa festum Sancti Martini, proiecit se iuxta arborem ad solem, et erexit tibias suas, dicens, “Eia! Si caelum iam caderet, ipsum sustinerem super tibias meas.” Et cecidit folium unum iuxta, et avis exterrita evolat, dicens, “O Sancte Martine, cur non succurris aviculae tuae?”

807. Heros in Somnio

Quidam, herois simulacrum domi habens, ei splendidissime sacrificabat. Cum vero multa continuo in sacrificiis instruendis insumeret impenderetque, noctu ei heros in somnis adstans, “Desine,” inquit, “amice, rem tuam familiarem absumere! Nam si, absumptis omnibus, in paupertatem incideris, me protinus accusabis.”

808. Cyclops et Homo

Vir probus et honestus diu cum liberis suis bene et fortunate vixerat. Post deinde inopia et egestate affectus et afflictus, improbis numen petebat conviciis, seque volebat interimere. Correpta ergo sica, in locum desertum exiit, mori magis cupiens quam misere vivere. Inter eundum offendit fossam altissimam, in qua ab homine giganteo (Cyclops ei erat nomen) multum auri esset reconditum. Id ut vidit pius ille homo, medius metum inter et gaudium, proiecta sica, tollit aurum laetusque domum ad liberos suos properat. Cyclops deinde ad scrobem reversus, pro auro reperit gladium, eoque stricto, se interficit.

Malis mala accidunt; bonis bona manent.

809. Satyrus et Viator

Satyrus viatorem, nive obrutum atque algore enectum, misertus ducit in antrum suum. Refocillantem manus anhelitu oris percontatur causam; “Ut calefiant,” inquit. Postea, cum accumberent, sufflat viator in polentam. Quod cur ita faceret interrogatus, “Ut frigescat,” inquit. Tunc continuo Satyrus viatorem eiiciens, “Nolo,” inquit, “in meo ut sis antro, cui tam diversum est os.”

> *Fabula innuit devitandum esse eius amicitiam*
> *cuius anceps vita est et non simplex sermo,*
> *cuius cor et lingua dissimiles partes agunt.*

810. Naias et Puella

Puella quaedam, ad fontem lucidum sedens, pulchritudinem suam in liquoris speculo inspicere amabat. Sitis interea crevit; ut hanc levaret, aquam hausit cava manu, at liquor omnis inde perturbatus est. Illa ergo dolet queriturque quod iam nil cernere possit. Naias, imi fontis incola, emergit et “Ut te cernere possis,” ait, “exspecta dum redeat quies quam tu fugasti.”

> *Qui se ipsum noscere cupit hac fabula monetur*
> *ut ipse sibi se placidum sistat.*

811. Nanus et Villanus

Quidam villanus cepit forte Nanum monticulum. Qui, ut dimitteretur, trium optionum potestatem homini dedit. Mulier, ut optaret, virum suum rogavit, affirmans se melius scire quid foret optandum. Vir ergo mulieri duas optiones concessit. Illa autem, oportunum tempus exspectans, optare tardavit. Contigit itaque una die ipsam dorsi arietini spinam rodere. Cuius medullam, satis desideratam, cum attingere non posset, os viro porrexit et ait, “Utinam haberes modo ferreum rostrum ad medullam hanc leviter extrahendam!” Statim post verba sedit maritus ferro rostratus. Tunc ait uxor, “Utinam esset modo facies tua sine rostro!” Statim post verba sedit maritus sine rostro, sed etiam sine naso. Tunc ait uxori,

“Utinam esset modo facies mea velut ante fuit!” Taliter optatis eorum nihil utilitatis affuit.

812. Daemon et Anus

Volunt homines ut plurimum, quando sua culpa aliquid sibi acciderit adversi, in Fortunam vel in Daemonem culpam conferre, ut se crimine exuant; adeo omnes sibi indulgent. Hoc Daemon aegre ferens, cum videret anum quandam arborem ascendentem soleatam, ex qua illam ruituram et in se culpam collaturam praeviderat, accitis testibus, dixit, “Videte anum illam absque meo consilio arborem ascendentem, unde eam casuram esse prospicio. Estote mihi testes, me ei non suasisse, ut soleata illuc ascenderet.” Mox anus cecidit et, cum interrogaretur cur soleata arborem ascendisset, “Daemon,” inquit, “me impulit.” Tunc Daemon, adductis testibus, probavit id ab anu absque suo factum esse consilio.

813. Fortuna et Puer

Dormienti puero super os putei fertur astitisse Fortunam eumque excitasse dicendo, “Exsurge, O iuvenis, et abi hinc ocius. Novi enim genium hominum et tuum, quod si in puteum labereris, non te aut tuam secordiam, sed Fortunam incusabitis.”

814. Fortuna et Agricola

Qui terram colebat, cum agrum foderet, aurum forte reperit. Memor igitur beneficii, ut a Terra in se collati, et gratus, hanc quotidie sertis redimire solebat. Ergo Fortuna aliquando accedens ad illum, “Cur acceptum refers,” inquit, “Terrae, quod tibi ego tribui, cum statuissem te divitiis augere? Nam sorte, si ita cadat, mutata et auro delato ad alios, satis scio te non Terram, sed Fortunam accusaturum esse.”

815. Mors et Cupido

Mutabant pharetras Mors et Cupido. Mortis sagittae senile pectus penetrant et caeco amoris igni carpuntur venae. Cupidinis tela, morbis solummodo et frigore armata, gloriabantur illa corda quae iuvenili igni calefacere debebant. Cum hoc Cupidini innotescebat, Mortis telis Morti remissis, Cupido suam reposcebat pharetram, quam illi Mors remisit. Sed quamvis ambae suis iam potiuntur spiculis, delirus tamen Error remanet; saepius etenim fit ut quaedam Cupidinis sagitta nivibus et glacie, et aliae sagittae Mortis ignibus et flammis sunt armatae.

816. Mors et Pauper

Pauper quidam lignorum fasciculum portabat humeris. Longo deinde itinere fatigatus, onere se levavit, consedit humi, et flebili voce advocavit Mortem. Illa continuo adest, interrogans quid se velit. Respondet pauper, “Humi ut tolleres hunc fascem mihi, huc ego te vocavi.”

Adeo in miseris etiam vitae amantes sunt mortales.

817. Mors et Matrona

Matrona quaedam admodum pudica et viri amantissima, aegre ferebat maritum adversa valetudine detineri. Lamentabatur, ingemiscebat et ut suum in virum amorem testaretur, rogabat Mortem, ut si maritum sibi esset ereptura, se potius quam illum vellet occidere. Inter haec verba Mortem cernit horribili aspectu venientem, cuius timore perterrita et iam sui voti paenitens, “Non sum ego,” inquit, “quem petis; iacet ibi in lecto, quem occisura venisti.”

818. Mors et Senex

Senex quidam Mortem, quae eum e vita raptura advenerat, rogabat, ut paululum differret, dum testamentum conderet et cetera ad tantum iter necessaria praepararet. Cui Mors “Cur non,” inquit, “hactenus praeparasti, toties a me admonitus?”

Et, cum ille eam numquam a se visam amplius diceret, “Cum,” inquit, “non aequales tuos modo quorum nulli fere iam restant, verum etiam iuvenes, pueros, infantes quotidie rapiebam, non te admonebam mortalitatis tuae? Cum oculos hebescere, auditum minui, ceterosque sensus in dies deficere, corpus ingravescere sentiebas, nonne tibi me propinquam esse dicebam? Et te admonitum negas? Quare ulterius differendum non est.”

819. Rusticus et Dominus Eius

Quidam rusticus ad pagi dominum venit, et “Meus,” dixit, “porcus in canem tuum irruit eumque necuit.” “Damnum sarcies,” respondit ille, “viginti nummis aureis, et praeterea porcum tuum mihi trades ut occidatur et supplicio porcos ceteros terreat, ut ne posthac audeant verendos canes nobilium interficere.” Hic rusticus, sese emendans, “Quid, miser, locutus sum?” inquit; “immo illud volui dicere: porcellum meum a cane tuo occisum fuisse.” “Is ergo,” inquit dominus, “aliquam iniuriam prior fecerit, et hoc pacto stultus perniciem suam sibi arcessiverit. Male quidem factum; nunc tamen satis est mihi quod mors, poena iusta, crimen huius eluit. Abi, et porcos tuos melius educa, et cave ne aliquid umquam simile peccent.”

Si tenuis cum potente damnum expostulaverit,
saepius abibit vix innocens.

820. Rusticus, Canis, et Iurisconsultus

Praeclarus iurisconsultus publicos ludos quondam spectabat. Subito vir rusticus occurrit. “Da mihi,” inquit, “responsum, o vir praeclare; canis divitis vicini meum agrum intravit, necavitque tres pullos. Quantam tu mulctam domino canis imponis?” “Quattuor asses,” respondit iurisconsultus. “Da mihi igitur asses,” inquit rusticus; “tuus enim canis erat reus.” “Res aequa est,” iterum respondit iurisconsultus, “et libenter tibi quattuor asses dabo. At tu primum numera mihi quinque asses,

numquam enim iurisconsulti sine mercede dant responsa.”

821. Rusticus et Vox Haedi

Rusticus quidam, gravi lite implicitus, ad quendam iurisconsultum accesserat, ut eo patrono sese explicaret. At ille, negotiis impeditus, renuntiari iubet, se non posse nunc illi vacare, quare abiret alias rediturus. Rusticus, qui huic ut veteri fidoque amico plurimum fidebat, pluries rediens, numquam admissus est. Tandem haedum adhuc lactantem et pinguem secum deferens, ante aedes iurisperiti stabat et haedum vellicans illum balare cogebat. Ianitor, qui ex praecepto heri dona portantes statim admittere solebat, audita haedi voce, ianuam illico aperiens hominem introire iubet. Tunc rusticus, ad haedum conversus, “Gratias,” inquit, “ago, haedule mi, qui tam faciles mihi has effecisti fores.”

> *Fabula indicat nullas res tam duras difficilesque esse quas munera non aperiant.*

822. Rusticus et Torrens

Rusticus, torrentem transiturus qui forte imbribus excreverat, quaerebat vadum. Et, cum primum eam fluminis partem tentasset quae quietior placidiorque videbatur, reperit eam altiorem quam animo erat opinatus. Rursus ibi breviorem tutioremque adinvenit, ubi maiore aquarum strepitu fluvius decurrebat. Tum secum “Quam tutius,” inquit, “clamosis aquis quam quietis et silentibus vitam nostram credere possumus.”

> *Hac admonemur fabula ut minus verbosos et minaces quam quietos extimescamus.*

823. Rusticus de Arbore Delapsus

Qui in arborem ascenderat rusticus, de illa delapsus, graviter femur dextrum laesit. Huic alius forte praeteriens se consilium daturum dixit, quo usus numquam de arbore caderet. “Utinam,”

inquit ille, “ante casum meum dedisses, sed profuerit tamen etiam in posterum; dic igitur.” Tum ille alter “Cave,” inquit, “ne velocius terram repetas unde ascendisti quam in arborem ipsam evaseris.”

> *Fabula docet saepe cunctationem et moram esse laudabile.*

824. Rusticus Athleta Factus

Pater quidam filium suum cum vidisset vomerem de aratro forte excussum manus suae ictu tantum, quasi malleo, suum in locum restituisse, eum protinus Olympiam duxit, ut in pugilatu certaret. At ille artis imperitus ab adversariis male multabatur, cumque congressus cum eo, cui extrema obtigerat sors certaminis, vulneribus iam prope confectus succumberet, pater id videns, “Fili,” inclamavit, “vomerem ab aratro excussum tibi memora.” His ille excitatus adeo grave in adversarium suum vulnus intulit, ut statim victoriam reportaret.

825. Rusticus et Sepes

Vir quidam sepi, qua vinea eius conclusa erat, ut sterili conviciabatur eamque ut nullius emolumenti excisam exusserat. Tunc vinea, aperta et pecoribus et hominibus facta pervia, a cunctis depopulata est. Dominus vineae, hoc conspicatus, seipsum stultitiae accusabat quod sepem uvae suae custodem tam imprudenter amovisset.

> *Fabula indicat qui res servant, non minus facere, quamvis otiosi videantur, quam qui eas suo labore congregarunt.*

826. Rusticus Aratrum Portans

Rusticus, admodum incultus, cum usque ad meridiem arasset, fessis bobus, et ipse labore fatigatus, rediturus in oppidum, aratrum super asellum alligat, deinde asellum, praemissis bobus, ascendit. Qui cum nimio onere gravatus sub pondere deficeret, sentit tandem rusticus asellum ire non posse. Tum descendens atque aratrum

super humerum ponens, rursus asellum ascendit, inquiens, “Nunc recte ambulare potes; non enim tu, sed ego aratrum fero.”

827. Rusticus et Pons

Rusticus, de cuius manu securis cecidit in aquam, coepit super pontem exspectare, donec tota transiret aqua. Rusticus exspectat dum defluat amnis, at ille labitur et labetur in omne volubilis aevum.

> *Ita scientia scientiae, opiniones opinionibus, et libri libris semper succedunt.*

828. Rusticus in Stercoribus Nutritus

Rusticus, qui nutritus erat in fumo et in stercoribus animalium, et cum transisset prope apothecariam ubi species aromaticae terebantur, non valens ferre odorem corruit, quasi semivivus nec potuit convalescere aut confortari donec, portatus ad domum suam, ad fetorem fumi et stercorum reverteretur.

829. Rusticus et Coluber

Rusticus repertum in altiori nive colubrum, frigore prope enectum, domum tulit et ad focum adiecit. Coluber, ab igni vires virusque recipiens et non amplius flammam ferens, totum tugurium sibilando infecit. Accurrit rusticus et, correpta sude, verbis verberibusque cum eo iniuriam expostulat, “Num haec est quam retulit gratia, eripiendo vitam illi cui vitam debuit?”

830. Agricola Sorte Sua Non Contentus

Quidam agricola, videns iuvenes sodales suos e militia redire divites, coepit de ineunda militia cogitare et taedere vitae prioris, tot laboribus exercitae tam modicis compendiis. Et, venditis bobus capris ovibus supellectili, emit equum et arma, et militiae nomen dedit. Non diu post,

pugnatum est sed infeliciter respectu novi militis qui, strenue licet decertans, cuncta quae habebat perdidit et nil nisi vulnera multa recepit. Militiae igitur renuntians, decrevit vacare mercaturae ex qua maius lucrum, minus periculum speraret. Praediis igitur quae supererant venditis, et inde comparatis mercibus, mari se commisit, Fortunam retentaturus. Sed infelicior, exorta tempestate, navi submersa, in undis periit, exemplum factus fallacis ac dolosae Fortunae, ut satius sit ipsi non credere et fidere, sed quemque sua sorte debere esse contentum.

831. Agricola Invidus et Vulpes

Agricola improbus, cum invideret proximo feturam segetis quaereretque quo pacto corrumpere posset eius labores, captam vulpem, alligata face, in vicini segetem dimittit. At illa, non qua missa erat excurrens, volente sic Deo, eius qui dimiserat combussit segetem!

832. Agricola et Arbuscula

Agricola, silvam ingressus ut perquireret si quam arbusculam perticalem inveniret rectam et proceram, statim conspexit unam inter alias qualem succidi et capi usus ipse expetebat. Et ille minime quidem hanc improbavit, sed tamen speravit se aliquam aliam praestantiorem reperturum fore. Coepit ergo progredi, aciem oculorum sedulo circumferens, sed, si animum reflexerit ad illud ipsum quod tollere neglexit, cuncta sordent. Interea magis atque magis in silvae recessus intimos penetrat et viarum ambagibus fallitur. Iter vult relegere, nec potest; multumque et frustra gemit se fatigatum. Demum tamen redit, at post longos circuitus, ad hanc arbusculam quam respuisse dolet; ipsamque caedere properans, “Nunc,” inquit, “scio: saepe haec bona ceteris praeferenda esse, quae vestiganti maxime obvia sunt.”

833. Colonus et Adiutores Eius

Colonus quidam, homo piger et iners, ignaviam suam semper excusabat, culpamque in alios conferens, exclamabat, “Nemo me adiuvat; adiutore opus est.” Villicus, qui querelam audierat, “Quid est?” inquit; “decem habes adiutores.” “Minime vero,” respondit colonus. Tum villicus “Sustolle,” inquit, “manus tuas. Nonne decem habes digitos? His si gnaviter uteris, numquam tibi deerunt adiutores.”

834. Agricola et Fur

Agricola fodiens vineam, cum bidentem amisisset, quaerebat num quis praesentium furatus eum esset rusticorum. Negabat quisque. Tum incertus homo quid faceret, in urbem deduxit omnes, iusiurandum delaturus (deorum enim eos opinantur vulgo qui sunt ingenio tardiores ruri habitare; qui autem muris intus degunt, veros esse deos et cuncta inspicere). Cum vero, ingressi portam, ad fontem pedes lavarent, manticis depositis, praeco proclamabat mille se drachmas numeraturum, furtorum praemium indicandorum quae ex dei aede fuerant ablata. His auditis, agricola “Quam vanum,” ait, “iter feci! Fures enim alios quo deus deprendet modo, qui sui spoliatores templi non cognoscit, quaeritque mercede oblata illos num quis noverit mortalium?”

835. Arator et Venator

Lepusculum persequebatur venator cum canibus et, dum fugeret lepusculus, contigit ut transiret iuxta aratorem. Arator autem, percutiens eum cum baculo, abscondit sub sulco ac cooperuit humo. At post, a longe veniens, venator clamabat ad eum, “Vidisti, O arator, transire lepusculum?” Arator respondit, “Nescio,” inquit, “quid loqueris.” Ad haec venator plangens ait, “O quam bonus fuerat cum pipere!” Tunc arator plangens ait, instigans boves cum stimulo, “Ite, quia optimus erit cum sale!”

836. Nauta Agriculturam Exercens

Quendam vitae nauticae pertaesum cepit cupiditas colere agros. Atque nactus ille quidem aratrum, in penuria boum, tale quiddam excogitat: pannos abiecti veli forte repertos expandit in pertica, et hanc defigit in aratro. Atque ita, stiva praehensa, opem divinam implorat, qua fortunetur labor operis. Iamque ventus secundus inflabat pannos, nihilo tamen magis procedebat aratio. Praeteriens autem quidam, “Heus tu,” inquit, “bobus opus est, si progredi aratrum debeat.” “Quo pacto igitur,” respondit hic, “cum nuper in velum navis non admodum vehemens incidisset ventus, provecta illa fuit strenue suumque cursum confecit, quamvis mercibus in eam illatis onusta?” “At enim,” inquit alter, “res similis non est. Nam in mari ad navigandum ventis opus est, in terra vero ad arandum bobus.”

837. Olitor et Plantae Silvestres

Olitorem quidam, cum videret irrigare olera, rogavit quomodo accideret ut gramina silvestria nec plantata nec culta maturescerent; quae vero homines sevissent, saepius arescerent. “Silvestres,” respondet olitor, “plantae sola Dei providentia curantur; mansuetae autem hominum manibus coluntur.”

838. Olitor et Canis

Delapsum in puteum canem olitor servare et retrahere cupiens, demisit et eodem se ipse. Canis, veritus ne descendisset sibi nocendi gratia et ut suffocaret demersum, dentibus illum petebat et morsu lacerabat. Tum saucius olitor, cum dolore, “Iure mihi,” inquit, “hoc accidisse fateor. Cur enim auctorem ipsum sibi interitus ego servare volui?”

839. Colonus Expertus et Vir Imperitus

Aliquis, cum cupidus agriculturae foret et imperitiam suam latere vellet, vana elatione animi turgidus, ficta

ambulandi causa agricolam valde peritum convenit. Hunc solitis laboribus fungentem paulum observat, videns etiam cum is amputaret arborum fruticationem superfluam, stolones vagos et ramulos inutiles. “Cur,” ait, “caedem tantam facis lignique frondiumque?” “Hinc scilicet,” inquit colonus, “uberior fructus redit.” Neque ille plura quaesiit; credidit sese iam omnem artis prudentiam assecutum et abiit. Mox ad suum fundum reversus, securim capit et, miser, arborum ramos quosque bonos malosque obvios abscindit et, furiosus, omnem palmitum spem resecat.

Fabella docet imperitos saepe ab exemplis bonis peccandi fiduciam capere.

840. Pastor et Rex

Pastor beatus magnum ovium gregem regebat, cuius cum prudentiam cognovisset, rex hunc regni administrum fecit. Ille laudes domini simul populique tulit, at livor malignus principes impulit ut insusurrarent pastorem furtis ditari et pecuniam publicam corradere; arcam visam fuisse in eius cubiculi, clausam sedulo; illic scilicet opes raptas recondi. Rex arcam recludi iubet. Ille “Magne rex,” inquit, “crede innocenti; ultra ne inquire.” Sed cum nihil proficeret, ipse arcam recludit simulque proferens singula: cucullum scilicet pastorium, sagumque rusticum, et panarium et pedum et fistulam. “Thesaurus en,” inquit, “meus. Hunc olim amare solitus, hoc uno frui deinde volo; forsan malevoli invidere desinent.” Rex gemit et “Amice,” ait, “ne me amicum miserum desere.” At ille durus fugit, et ad oves suas redit.

841. Pastor et Canis Molossus

Pastor molossum habebat, mira virtute praeditum et gregis custodem praeclarum. Sed, dum nimis voracem et famelicum esse conqueritur, aliquis persuasit ut istum helluonem venderet et hinc alios canes duos vel tres redimeret, qui operam parem simul adhibere et levibus impensis ali possent. Eiicitur ergo hospes generosus et fidelis et vetus. At lupus, ubi sensit custodem valentem

iam procul a grege abesse, longo metu solutus, invadit et facile oves desertas rapit, modo hanc, modo illam.

Ne impensas dole unde lucrum ingens redit.

842. Pastor et Lupi Catuli

Pastor repertos lupi catulos cura magna educavit, arbitratus, cum adolevissent, non solum oves custodituros suas, sed insuper alias rapientes sibi delaturos. At illi citissime adulti, occasionem nacti, primum ipsius gregem devoravere. Quapropter ingemens, pastor ait, “Merito equidem plector. Quid enim eos iuvenculos adhuc servavi, quos vel adultos necare oportebat?”

843. Pastor et Lupus Familiaris

Lupus, ovium gregem sequens, nullum iis damnum inferebat. Pastor itaque primo quidem ab eo, tamquam ab hoste, sibi cavebat metuensque illum attente observabat. Deinde vero, licet continuo sequeretur, cum nihil umquam rapere aggressus esset, tunc pastor, eum custodem potius quam insidiatorem esse ratus, postquam necessitate quadam se in urbem conferre adactus est, relictis ei ovibus discessit. Tum lupus, occasione arrepta, maiorem gregis partem devoravit. Reversus inde pastor, gregisque cladem cernens, “Ego quidem digna patior,” inquit; “quid enim lupo oves credidi?”

844. Pastor, Vestis Eius, et Oves

Egerat pastor oves in quercetum ibi, strato sub arbore vestimento suo, conscendit illam et decutere coepit glandes. Ad quas accurrentes oves, dum illas mandunt, etiam vestem pastoris dilacerant. Qui, cum de arbore postea descendisset et cognovisset damnum quod interea fecerant, “Improbissimae,” inquit, “animantes! Vos aliis ad vestitum lanam suppeditatis; mihi vero, qui vos pasco, meam vestem diripuistis.”

845. Pastor et Mare

Pastorem, qui gregem suum forte appulisset ad mare, cum cerneret illud stare placidum et quietum, cupiditas incessit navigandi et mercaturas faciendi. Venditis igitur ovibus suis, mercatur palmas et in navem imponit atque ita in altum provehitur. Orta autem tempestate, cum periculum esset ne navis fluctibus deprimeretur, mercibus eiectis in undas, aegre vacua navis fuit conservata.
Post dies pauculos, cum ad mare pastor tristis sederet, praetereunte quodam et secum tranquillitatem maris (nam tempestas abierat) admirante, "Ego," inquit pastor, "scio quid sibi velit haec maris tranquillitas, nam alias palmas profecto quaerit quas devoret."

Fabula docet malis acceptis homines cautiores in posterum reddi solere.

846. Auceps et Fringilla

Auceps tetenderat volucribus retia largamque illis in area effuderat escam, pascentes tamen aves non capiebat, quia sibi videbantur paucae. Quibus pastis ac avolantibus, aliae pastum adveniunt quas quoque propter paucitatem capere neglexit. Hoc per totum diem ordine servato, ac aliis advenientibus, aliis abeuntibus, illo semper maiorem praedam exspectante, tandem advesperascere coepit.
Tunc auceps, amissa spe multas capiendi, cum iam tempus esset quiescendi, attrahens retia, unam tantum fringillam, quae infelix in area remanserat, cepit.

Haec fabula indicat qui omnia comprehendere volunt, saepe pauca vix capere posse.

847. Venator Meticulosus

Leonis indagans vestigia, venator lignatorem rogavit an leonis vestigia et latibula nosset. Respondit ille, "Et ipsum quoque leonem, si lubet, indicabo." Sed venator, metu pallescens, dentibus crepitans, "Vestigia tantum," ait, "non leonem quaero."

Audaces una et timidos carpit haec fabula,
audaces nempe verbis, sed non factis.

848. Venator et Eques

Venator ceperat leporem, eoque sublato in humeros, cum pergeret domum, incidit in equitem, qui specie emptionis leporem peteret. Quem cum ab venatore accepisset, incitato equo, capessivit fugam. Venator eum persequebatur, ut qui vellet eum consequi. Ut vero longo intervallo relictus est, invitus hanc edidit vocem, “Abeas ergo; iam enim leporem donavi equidem tibi.”

Multi, qui violenter sunt spoliati suis,
sponte ea dedisse simulant.

849. Piscator et Calamus

Piscator quidam iuxta maris litus sedit et coepit calamum inflare, putans cantu se pisces facile esse capturum. Cantu verum nil proficiente, calamum deposuit, rete in mare demisit, ac plurimos cepit pisces. Sed cum ex reti pisces extraheret atque eos saltantes videret, ait, “O improba animalia! Dum canebam, saltare noluistis; nunc autem, calamo cessante, saltus datis assiduos.”

850. Piscator Aquam Verberans

Piscator in fluvio quodam piscabatur. Extensis autem retibus et fluxu comprehenso utrinque, funi alligato lapide, aquam verberabat ut pisces, fugientes incaute, in retia inciderent. Cum quidam vero ex iis qui circa locum habitabant id eum facere videret, increpabat utpote fluvium turbantem et claram aquam non sinentem bibere. Et is respondit, “Sed nisi sic fluvius perturbetur, me oportebit esurientem mori.”

851. Piscatores et Lapis Ingens

Piscatores verriculum trahebant, quod, admodum grave cum esset, laetabantur illi atque exsultabant, multam praedam inesse existimantes. Eo autem extracto, pisces

quidem paucos invenere sed ingentem verriculo lapidem sustulere. Qua re non mediocriter contristati, non tam de piscium paucitate quam quod contraria speraverant, angebantur. Tum vero quidam ex illis, qui senior erat, “Ne doleamus,” inquit, “amici; laetitiae enim, ut videtur, tristitia soror est. Oportebat igitur nos etiam, qui tantum antea gavisi sumus, aliqua in re quoque omnino tristari.”

852. Piscatores et Piscis Insperatus

Piscatores, iactis in mari retibus, diu multumque fatigati, nil ceperant. Et iam taedio, labore, ac desperatione victi, abire decreverant, Fortunam incusantes, cum, insperato, piscis immanis, ab alio actus, in ipsam piscatorum tristium scapham insilit, quem hi, supra modum laetantes, comprehendunt et Fortunae Deae acceptum referunt, quod ars diu tentata negaverat.

853. Mercator et Nauta

Inter navigandum cum esset mare placidum et tranquillum, qui in navi vehebatur mercator interrogat nautam quo genere mortis pater ipsius interiisset. Cui respondit nauta eo ipso anno in aquis patrem et ante annos decem simili fato periisse avum suum. “Quid proavo,” inquit, “factum est?” “Et hic,” inquit nauta, “itidemque, ut mihi dicitur, abavus in mari suffocati fuere.” “Non igitur tu,” inquit mercator, “metuis aquas?” “Non sane,” inquit nauta, “sed dic quaeso qui fuerit exitus tui patris?” “In suo,” inquit ille, “lectulo mortem oppetiit.” “Quid avus?” “Etiam,” inquit mercator, “hic, nec non de proavo et abavo, idem comperio.” “Cur tu igitur non et tuum,” inquit nauta, “lectulum reformidas?”

854. Emptor Asini

Asinum quidam empturus emit hoc pacto ut eius experimentum ac periculum faceret. Eum itaque ad praesepe ductum inter alios suos asellos collocavit. Ille vero, ceteris relictis, iuxta asinum quemdam

otiosissimum et voracissimum, quique nihil umquam agebat, sese proiecit. Id herus videns, eum statim fune ligatum proprium ad dominum reduxit. Cui quaerenti an tam cito eius experimentum fecisset, “Ego mehercle,” respondens ait, “probatione opus non habeo. Scio enim eum talem esse, qualis is est quem sibi socium delegit.”

855. Mercator et Mures Aes Erodentes

Deposuerat mercator apud hospitem suum magnum pondus aeris. Venit aliquando et repetit. Ille mures erosisse dicit. “Dii boni,” mercator dicit, “quid narras? Sed bene habet, quod evasisti voracitatem ipsorum.” Dum discedit mercator, filium hospitis sui, ante aedes discurrentem absque custode, abducit. Postero die, offert se conspectui hospitis, qui apud illum conquerebatur et deplorabat amissionem filii sui. Tum mercator “Ego heri,” inquit, “non procul ab aedibus tuis puerum vidi raptum a corvo auferri.” “A corvo,” exclamat ille, “puerum auferri? Quis tam validus corvus esse potuit?” Ibi mercator “Qua in terra,” inquit, “mures aes erodunt, in ea verisimile est reperiri corvos qui pueros rapiant.” At hospes, se suis artibus petitum sentiens, pollicetur se pretium aeris persoluturum rogatque mercatorem puerum sibi ut restituat.

856. Venditor et Creditor Eius

Athenis, debitor quidam, cum a creditore exigeretur, primo quidem dilationem sibi concedi postulabat, se tunc solvendo non esse affirmans. Ubi vero eum persuadere non potuit, adductam quam solam habebat suem, praesente illo, venum proposuit. Quodam autem accedente et an sus illa pareret interrogante, non solum eam parere ipse respondit sed, et praeter opinionem, Mysteriis feminei, Panathenaeis vero masculi sexus filios eniti solere. Cum ad haec emptor obstupesceret, “Ne profecto mireris,” creditor subiecit; “haec sus enim Dionysiis haedulos etiam est paritura.”

Fabella demonstrat plerosque, dummodo sibi lucrum faciant, de impossibilibus falsisque rebus falso testari non dubitare.

857. Venditor Simulacri

Cum quidam Mercurii simulacrum ex ligno fecisset, ipsum venum proposuit. Sed cum nullus emptor accederet, is, emptores alliciendi causa, clamare coepit, aiens se Deum beneficum ac divitiarum datorem venumdare. Quidam tunc ex iis qui forte aderant, “Ecquid,” inquit, “amice, Deum talem divendis, cum tute ipse tot tantisque eius beneficiis frui possis?” Cui ille “Ego quidem,” ait, “celeri subsidio indigeo; hic autem tarde divitias ferre solet.”

858. Vir et Vas Melle Plenum

Quidam vas melle plenum supra suum lectum suspendit. Tum ille, uno die accubans, supraque se appensum vasculum intuens, rationem computabat quanti venire posset vasculum posuitque tanti quanti oves duae emerentur. “Et illae,” inquit, “oves binae binas alias parient, tum deinde quarternas quattuor et mox octonas octo.” Pergensque hoc modo ad magnum pervenit gregem et ait, “De pretio illarum domum agrosque mihi comparabo; ita tandem uxorem ducam et suscipiam filium. Verum si filius non obtemperarit monitis meis tum ego illum sic,” inquit, arrepto scipione, “sic illum ego verberabo.” Et inter has cogitationes diversas suas, elatum altius scipionem impegit in vasculum, eoque pertuso, effusum defluxit in stragula mel, hicque consiliorum tam splendidorum fuit exitus: carere ut homo melle, et eluere stragula cogeretur.

859. Vetula Lac ad Forum Portans

Vetula, dum in urceo ad forum lac portaret, coepit cogitare quomodo posset fieri dives. Attendens autem quod de suo lacte tres obolos habere posset, coepit cogitare quod

emeret pullum gallinae et nutriret, ex cuius ovis multos pullos acquireret; quibus venditis, emeret porcum; quo nutrito et impinguato, venderet illum ut inde emeret pullum equinum, et tam diu nutriret ipsum quod aptus esset ad equitandum, et coepit intra se dicere, "Equitabo equum illum, et ducam ad pascua et dicam, ei, io, io." Cum autem haec cogitaret, coepit movere pedes et, quasi calcaria in pedibus haberet, coepit talos movere et prae gaudio manibus plaudere; ita quod motu pedum et plausu manuum urceum fregit et, lacte in terra effuso, in manibus suis nihil invenit.

860. Macellarius et Canis

Canis ex macello cor ad dapes rapuerat. Conversus autem ad illum, macellarius "Cor non surripuisti," inquit, "sed addidisti mihi. Cum ergo iterum huc redieris, rapinae praemia ostendam tibi."

Damnum dociles et attentos reddit.

861. Sutores et Mercurius

Iuppiter Mercurio imperavit ut artificibus omnibus mendacii potionem conficeret. Ipse, singulis quae ad id opus erant pistillo contusis atque mensura pro ratione miscendi confecta, universis aequalem potum praebuit. Cum vero, sutore solo relicto, multum adhuc ex potione superesset, Mercurius, mortario arrepto, totum illi bibendum dedit. Atque contigit inde ut artifices omnes mendaces sint, maxime vero omnium sutores.

862. Coriarius et Dives

Dives, prope coriarium habitans neque fetorem ferre valens, ut discederet instabat. Is vero id in longum differebat, brevi se discessurum promittens. Sed cum continuo maneret, tandem contigit ut alter sensim assuesceret nec amplius malo odore molestaretur.

Indicat fabula consuetudine res difficiles leniri.

863. Carbonarius et Fullo

Carbonarius, qui spatiosam habebat domum, invitavit fullonem ut ad se commigraret. Ille respondit, “Quaenam inter nos esse possit societas, cum tu vestes, quas ego nitidas reddidissem, fuligine et maculis inquinaturus esses?”

864. Tubicen Captus

Tubicen, ab hostibus captus, “Ne me,” inquit, “interficite; nam inermis sum, neque quidquam habeo praeter hanc tubam.” At hostes “Propter hoc ipsum,” inquiunt, “te interimemus quod, cum ipse pugnandi sis imperitus, alios ad pugnam incitare soles.”

865. Citharoedus Imperitus

Citharoedus quidam, non satis eruditus, in cubiculo ut solebat canens, sua inibi voce resonante, valde se canorum esse putabat. Quapropter animo elatus, theatro iam se committere voluit. Sed ubi in conspectum prodiit, cum pessime cantasset, eum spectatores lapidibus iactis e scena abegerunt.

> *Fabula ostendit ita quoque nonnullos rhetorum, qui in scholis aliquid esse videntur, cum ad res publicas agendas se conferunt, nullius pretii esse.*

866. Cantus Sacerdotis

Sacerdos erat qui vocem asinariam et horribilem habebat et tamen se bene cantare putabat. Cum autem quadam die cantaret, mulier quidem audiens eum plorabat. Sacerdos vero credens quod suavitate vocis suae ad devotionem et lacrimas mulier incitaretur, coepit adhuc altius clamare, at illa coepit magis flere. Tunc sacerdos quaesivit a muliere quare fleret, credens audire quod libenter audiebat, at illa dixit, “Domine, ego sum illa infelix mulier cuius asinum lupus illa die devoravit, et quando vos audio cantare, statim ad memoriam reduco quod asinus meus ita cantare solebat.”

867. Poeta et Agricola

Agricola quidam, ad poetam accedens cuius agros colebat, cum eum inter libros solum offendisset, interrogavit eum quo pacto ita solus vivere posset. Cui ille “Solus,” inquit, “tantum esse coepi, postquam te huc contulisti.”

868. Simonides Naufragus

Simonides melos egregium scripsit, quo paupertatem facilius sustineret, laudem victorum canens, mercede accepta. Postquam locuples factus est, redire in patriam voluit; navem ascendit, quam tempestas medio mari dissolvit. Hi zonas, illi res pretiosas colligunt. Quidam curiosior “Simonide,” inquit, “ex opibus tuis nil sumis?” “Mecum,” respondet, “mea sunt cuncta.” Tunc pauci enatant, quia plures onere degravati perierant. Praedones adsunt, rapiunt quod quisque extulit, et nudos relinquunt. Forte prope fuit urbs quam naufragi petierunt. Hic quidam, litterarum studio deditus, qui saepe Simonidis versus legerat, ad se recepit; veste, nummis, familia eum exornavit. Ceteri tabulam suam portant, victum rogantes. Quos casu obvios Simonides ut vidit, “Dixi,” inquit, “mea mecum esse cuncta; quod vos rapuistis, perit.”

Homo doctus in se semper divitias habet.

869. Simonides et Gemini

Simonides certo pretio conductus est ut cuidam pyctae victori laudem scriberet. Cum materia exigua impetum frenaret, poetae licentia usus est atque sidera gemina interposuit, Deos pyctas gloriosos. Victor opus adprobavit, sed Simonides tertiam mercedis partem accepit. Cum reliquas posceret, “Di illi,” inquit, “reddent, quorum sunt duae laudis partes.” Fraudatus quamvis et iniuria dolens, ad convivium invitatus, hora dicta rediit et recubuit. Convivium poculis splendebat, domus laeta resonabat, cum repente iuvenes duo, pulvere sparsi, sudore multo diffluentes, corpore supra formam humanam, cuidam

servolo mandant ut ad se Simonidem provocet, sine mora. Homo perturbatus Simonidem excitat. Unum vix pedem triclinio promorat, subito camarae ruina ceteros oppressit, nec ulli iuvenes reperti sunt ad ianuam; numinum praesentia vati vitam dedit, mercedis loco.

870. Scriptor et Aesopus

Quidam scripta Aesopo mala recitarat, in quibus multum se iactaverat inepte. Scire ergo cupiens quidnam senex sentiret, “Numquid tibi,” inquit, “superbior visus sum? Nobis ingeni fiducia haud vana est?” Aesopus, pessimo volumine confectus, “Ego,” inquit, “vehementer probo quod te laudas, namque hoc ab alio numquam tibi contiget.”

871. Demades Orator et Fabella

Demades orator, cum Athenis olim contionem haberet, nec eum cives animis attentis audirent, sed potius, ut Aesopicam aliquam fabellam narraret, enixe rogarent, ita demum exorsus est: “Ceres, hirundo, et anguilla iter una faciebant. Cum vero ad quemdam fluvium pervenissent, hirundo quidem supervolavit, anguilla amnem subiit ...” Tum ipsis, quid Ceres egisset, interrogantibus, “Vobis,” inquit, “vehementer illa succensuit quod, rei publicae curis neglectis, Aesopicam fabulam lubentius audiatis.”

872. Apelles et Alexander Rex

Alexander, contemplatus imaginem suam quam Apelles, celeberrimus pictor, pinxerat, minus laudavit picturam quam ille exspectaverat. Cum autem introductus equus adhinniret equo picto, quasi etiam hic verus esset equus, tum Apelles, “O rex,” inquit, “equus tuus artis pingendi peritior esse videtur quam tu.”

873. Imago Picta in Camera Alta

Aliquis, pictam imaginem in alta camera miratus, “Illa quanto,” dixit, “suavius oculos teneret, si mihi prope

adstaret, quae tam valde placet tam procul remota!” Per scalas ergo secretiores adscensu levi ad ipsam testudinem pervenit. Sed, omnia vasta videns, lineamentis crassisque diductisque in enormem modum, stupet et agnoscit denique errorem suum.

> *Quam multi, in culmine alto collocati, oculos infimorum hiantes detinent errore blando, quos si propius inspexeris, turpitudinis notae grandes patescent.*

874. Sapiens, Rex et Barba Eius

Quidam rex, gloriam mundi diligens, pavimentum aulae suae, sedilia, et parietes cortinis pretiosis fecit cooperiri, mensam mappa et aureis vasis et argenteis fecit ornari. Et cum sapiens quidam inter convivas esset invitatus, sedens ad mensam regis, circumspexit undique ubi posset spuere et, cum vidisset omnia loca ornamentis cooperta, conspuit in barbam regis, in quem statim servientes manus iniecerunt. Rex autem, non sine ratione sapientem hoc fecisse autumans, servitiam servientium repressit et quaesivit cur philosophus sic fecisset. Qui respondit quod, cortinas et vasa pretiosa intuens, non vidit locum viliorem quam barbam pinguedine ciborum perunctam, et ideo in illam conspuebat.

875. Vir Doctus et Princeps

Vir quidam doctus ad convivium cuiusdam principis accitus et in ultimo loco discumbere iussus, tum ceteris convivis magni pisces, sibi autem minutuli apponerentur, nullum edebat. Sed singulos ori prius deinde auribus admovens, tamquam aliquid ab eis sciscitaturus, in patinis integros et illaesos reponebat. Interrogatus a magistro convivii cur hoc faceret, “Meus,” inquit, “pater ante hoc biennium his regionibus naufragio periit, nec quid de eius cadavere factum sit postea scire potui. Sciscitabar ergo ab his pisciculis an aliquid de eo scirent. Verum hi eo tempore nondum se natos fuisse respondent, quare maiores interrogandi essent.” Princeps, audito tam

lepido dicto, ipsi quoque maiores iussit exhiberi semperque eum postea inter praecipuos convivas habuit.

876. Diogenes et Mus

Diogenes desertus ab omnibus hominibus, solus relinquebatur, cum neque propter egestatem ipse quemquam reciperet neque ipsum hospitio quisquam acciperet, omnibus enim invisa erat eius in reprehendendo acrimonia et quod sese morosum et difficile praebebat ad ea quae dicebantur aut agebantur pleraque omnia. Proinde tristitia Diogenes confectus, summas foliorum extremitates manducabat, illa enim suppetebat. Mus vero accedens, decidentibus panis frustulis vescebatur. Diogenes igitur, cum diligenter rem spectasset, subridens animo recepto iam laetior et tranquillior secum, “Mus hic,” inquit, “nihil indiget Atheniensium lautitia, et quid tu, Diogenes, aegre fers, te cum Atheniensibus non cenare?” Atque sic oportunam animi tranquillitatem ipse sibi conciliavit.

877. Diogenes et Poculum Eius

Diogenes Cynicus ubique secum ferre solebat poculum ligneum, quo aquam sibi e fonte hauriret. Sed cum aliquando videret puerum manibus aquam haurientem, poculum abiecit. “Apage,” inquit, “quid mihi te opus est? Carere poculo possum; manus idem mihi officium praestabunt.”

878. Diogenes et Fastuosi

Diogenes cum venisset Olympiam et Rhodiacos quosdam adolescentes videret pretiosis magnificisque vestibus amictos, cum risu inquit, “Hoc nihil est praeter fastus.” Deinde cum incideret in Lacedaemonios vilibus et sordidis tunicis, quas exomides vocant, amictos, “Hic,” inquit, “alius est fastus.”

879. Diogenes Inhumatus

Diogenes Cynicus proiici se iussit inhumatum. Tum amici, “Volucribusne et feris?” “Minime vero,” inquit, “sed bacillum propter me, quo abigam, ponitote.” “Quo poteris?” illi; “non enim senties.” “Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit, nihil sentienti?”

880. Philosophus Atheniensis

Mos erat apud Athenas quod qui voluit haberi pro philosopho, bene verberaretur et, si patienter se haberet, pro philosopho haberetur. Quidam autem bene verberabatur et, antequam iudicatum esset quod philosophus haberetur, statim post verbera exclamavit dicens, “Bene sum dignus vocari philosophus.” Et respondit ei quidam, “Frater, si tacuisses, philosophus esses.”

881. Philosophus et Cucurbita

Sunt qui vel mundi opificem sapientissimum reprehendere audeant. Cum quidam cucurbitam grandiorem tenui in caule humi iacentem videret, “Hem!” inquit; “non in caule tenui, sed in alta quercu ego eam suspendissem.” Abiit deinde, et sub quercu aliqua obdormiscebat. Qui cum dormiret, ventus glandes innumeras a quercu decutiebat, quarum aliqua nasum hominis vehementius tetigit. Expergefactus ille, cum sanguinem e naso profluentem cerneret, “Quid,” inquit, “si haec cucurbita fuisset, vix equidem viverem amplius? Deum profecto sentio sapientissime atque optime mundum disposuisse.”

882. Socrates et Amici

Cum Socrates parvas aedes sibi fundasset, quidam ex populo “Quaeso,” inquit, “cur tu, talis vir, tam angustam ponis domum?” “Utinam,” Socrates respondet, “hanc veris amicis impleam!”

883. Socrates et Meretrix

Socrates cum meretrice, muliere formosissima, sermonem habuit. Quae cum diceret, “Ego quidem, O Socrates, multum tibi praesto. Nam tu neminem ex meis a me possis abalienare, ego cum libitum est, tuos omnes a te avoco.” Respondit Socrates, “Quid mirum hoc est? Siquidem tu ad declivem tramitem omnes rapis; ego vero ad virtutem cogo, ad quam arduus et plerisque insolitus est ascensus.”

884. Socrates et Pondus Auri

Socrates philosophus, veniens ad Athenas, secum ferens pondus auri, proiecit in mare, dicens, “Submergam te, ne submergar a te.”

885. Aesopus et Arcus

Cum quidam Atticus Aesopum in puerorum turba nucibus ludentem vidisset, restitit et quasi delirum risit. Quod simul sensit Aesopus (senex derisor potius quam deridendus) arcum retensum in media via posuit. “Heus,” inquit, “sapiens! Expedi quid fecerim.” Concurrit populus. Ille diu se torquet, nec quaestionis positae causam intellegit. Novissime succumbit. Tum sophus victor “Cito,” inquit, “arcum rumpes, si semper tensum habueris; at si laxaris, utilis erit cum voles.”

Sic aliquando lusus animo dari debent,
ut ad cogitandum melior tibi redeat.

886. Aesopus et Lucerna

Cum Aesopus solus domino familia esset, cenam maturius parare iussus est. Ignem ergo quaerens, aliquot domus lustravit tandemque invenit ubi lucernam accenderet. Tum iter, quod circumeunti longius fuerat, brevius effecit, nam recta per forum redire coepit. E turba quidam garrulus “Aesope,” inquit, “quid tu lumine, medio sole?” “Hominem,” respondet, “quaero,” et festinans domum abiit.

887. Aesopus et Petulans

Quidam petulans lapidem Aesopo impegerat. “Tanto melior!” Aesopus inquit. Assem deinde illi dedit, et sic prosecutus est, “Plus non habeo, mehercule, sed unde accipere possis tibi monstrabo. Ecce vir dives et potens venit; huic similiter impinge lapidem, et dignum accipies praemium.” Ille, persuasus, fecit quod monitus fuit sed spes audaciam impudentem fefellit, nam comprensus poenas persolvit cruce.

Successus ad perniciem multos devocat.

888. Aesopus et Harioli

Cuidam pecora habenti oves agnos perpererunt humano capite. Monstro territus, ad hariolos consulendos currit, maerens. Hic respondet ad domini caput pertinere et victima periculum avertendum esse. Ille autem adfirmat coniugem adulteram esse et liberos insitivos significari, sed maiore hostia expiari posse. Quid multa? Variis sententiis harioli dissident, et hominis curam cura maiore adgravant. Aesopus, naris emunctae senex cui natura numquam verba potuit dare, ibi stabat; “Rustice,” inquit, “si ostentum procurare vis, uxores da pastoribus tuis.”

889. Saga Damnata

Quaedam mulier, non modicum ex suis divinationibus et mendaciis quaestum captans apud imperitam plebem, promittebat deorum iras in se infensorum suis artibus placaturam. Contigit ut ipsa impietatis apud iudices postularetur eorumque iudicio damnata, ad patibulum duceretur. Cui plebs, “O insanam mendacemque creaturam! Tu, quae nuper caelestium iram a plebe avertere profitebaris, humanam in te mutare nec lenire potuisti?”

890. Divinator et Latrones

Circulator quidam, medio in foro, divinatoriam profitebatur et inspectione manuum cuiuslibet sortes

augurabatur, magna plebeculae turba stipatus, quam dum suis praestigiis incautam teneret, quidam ipsi annuntiat effractas fores domus suae et omnia a latronibus direpta et asportata. Quo audito, turbatus, relictis omnibus, ad domum cucurrit. Tunc unusquisque exclamabat, “O illusor et mendax, aliorum sortem divinare et scire te dicis, et tuam nescis.”

891. Astrologus Stellas Contemplans

Astrologi cuiusdam mos erat de nocte domo exire ut caelum stellasque contemplaretur. Aliquando autem, totus caelo intentus, in fossam, quam ante pedes sitam non viderat, incidit. Tum alius, per eandem viam iter faciens, cum de gemitu illius quod acciderat cognovisset, “Optime,” inquit, “tu, qui os in caelum erigebas, terram pedibus subiectam potius intueri debueras.”

892. Astrologi et Asinus

Rex quidam fidem maximam habebat ei generi hominum qui astrologi vocantur, quod motu stellarum imbres ventosque praedicere solent. Rex, qui multum in venationibus erat, aliquando dum magnum cervum canibus per silvas agitat, celeri equo longe ante omnes socios praetervectus est. Interea caelum nubibus obscuratur gravisque imber cum multa grandine in terram decidit. Rex igitur, quod parvam casam inter arbores videt, tempestatis perfugium petit. Tum ubi is graviter incusabat indoctos illos astrologos, “Nulla tamen tempestas,” respondit agricola cuius casa erat, “me incautum excipit; semper enim meus asinus, qui fruges horti ad forum portare solet, voce rauca imbrem mihi praedicit.” “Nimirum,” cum risu respondit rex, “si tuus asinus tam bonus astrologus est, meos astrologos posthac in numero asinorum habebo.”

893. Doctissimi Tres et Tigris

Dum tres homines apud Indos doctissimi in silvis forte ambulant, accidit ut tigris ossa huc illuc dissipata invenirent. Tum unus ex iis, ut vim doctrinae sociis ostentaret, “En ego,” inquit, “arte mea potentissima haec ossa in unum corpus restituere possum.” Alii quidem dubitabant, sed cum doctus ille arcana quaedam verba edidisset, extemplo ossa in pristinam figuram ultro redierunt. Secundus vero, qui vult sapientior videri, “Ego carnem et pelle redintegrare queo,” affirmavit. Qui cum voces quasdam clam cantavisset, tigris inanimus quidem sed cum carne et pelle, sicut in vita fuerat, exstitit. Inde tertius, ne a sociis sapientia superari videretur, “En ego maiora faciam,” clamavit, et statim ut tigris revivisceret, effecit. Quid multa? Tigris eos omnes dilaniavit.

894. Abbas et Iuvenis

Quidam iuvenis voluit claustralem vitam ducere. Dixit abbas, “Laudes haec ossa et benedicas,” demonstrato acervo ossium mortuorum. Laudavit igitur et benedixit. Quo facto, quaesivit abbas, “Benedixisti ossibus?” Respondit, “Benedixi.” Quaerebat abbas, “Quid responderunt?” Dixit iuvenis, “Nihil.” Iterum abbas, “Maledicas et vituperes.” Qui sic fecit quantum potuit. Et ait abbas, “Maledixisti?” Et ait iuvenis, “Maledixi.” Et quaesivit abbas, “Quid responderunt?” Et ait iuvenis, “Nihil.” Ait abbas, “Frater, talem te oportet esse ut, si verus monachus vis fieri, ita benedictionibus et maledictionibus nihil respondeas.”

895. Monachi et Abbates

Quidam abbas dedit monachis suis tria fercula. Dixerunt monachi, “Iste parum dat nobis. Rogemus Deum quod cito moriatur,” et sive ex hac causa, sive ex alia, cito mortuus est. Substitutus est alius qui tantum dedit duo fercula. Irati monachi dixerunt, “Nunc magis orandum est, quia unum ferculum subtractum est, Deus subtrahat ei vitam.” Tandem mortuus est. Substitutus est tertius, qui duo

subtraxit. Monachi dixerunt, “Iste pessimus est inter omnes, quia fame nos interficit. Rogemus Deum quod cito moriatur.” Dixit unus monachus, “Rogo Deum quod det ei longam vitam.” Alii admirati quaerebant quare hoc diceret. Qui ait, “Video quod primus fuit malus, secundus peior, iste pessimus. Timeo, cum mortuus fuerit, alius peior succedet qui penitus fame nos perimet.”

896. Sacerdos et Pira

Sacerdos quidam gulosus, extra patriam ad nuptias profisciscens ad quas fuerat invitatus, reperit in itinere pirorum acervum, quorum ne unum quidem attigit quamvis magna affectus fame; quin potius ea, ludibrio habens, lotio conspersit, indignabatur enim huiusmodi cibos sibi in itinere offerri qui ad lautas accedebat epulas. Sed, cum in itinere torrentem quendam ita imbribus auctum offendisset ut sine vitae periculo eum transire non posset, domum redire constituit. Revertens autem ieiunus, tanta est oppressus fame ut, nisi pira illa quae urina consperserat comesset cum aliud non inveniret, extingueretur.

> *Haec fabula monet nihil esse contemnendum, cum nihil sit tam vile et abiectum, quod aliquando usui esse non possit.*

897. Heremita et Mus

Heremita quidam, volens servum suum perscrutari ut fidem eius cognosceret, murem sub vasculo occultavit et ait servo, “Ire habeo ad confratres visitandos; tu vero ad custodiam cellae remanebis et, si quid forte opus est ut sumas, nil tibi sit prohibitum. Solum autem vas illud ibi reversum ne tangas, ne removeas. Nolo enim te scire quid subtus habeat.” Itaque, abeunte domino, servus de re interdicta sibi quaenam esset mirabatur, et visum est ei quod satis posset rem scire, ita quod magister suus nesciret. Accedens igitur ad vasculum, dum vas removit, murem ibi absconditum incautus liberavit. Reversus ergo tandem heremita, statim de vasis secreto servum

interrogavit utrum illud vidisset an non. Et ait servus, “Vidi quidem, sed melius non vidissem.”

898. Medicus et Vetula

Vetula mulier, oculorum morbo laborans, medicum quemdam, ut eam curaret, accersivit et ingentem mercedem se daturam promisit si oculorum vitio sanaret; contra vero, si nil efficeret, nec minimum quid praebituram. Hoc itaque pacto, quoties medicus ad eius oculos medendos veniebat, semper aliquid ei furabatur. Cum illam egregie sanasset, pactam sibi mercedem postulavit. Sed vetula continuo differt, et medicus in ius denique ante magistratus eam rapit. Quorum in conspectu stans ait, “Fateor me ei mercedem, si bene visum recuperassem, promisisse; sin minus, me nihil omnino daturam. Ac iste iactat me esse curatam; ego vero adfirmo contrarium me pati. Nam quando oculis laborabam, meas tunc opes omnemque supellectilem domi esse videbam; sed nunc, me videre ipso dicente, nil prorsus domi cernere possum.”

899. Medicus et Mortuus

Medicus aegrotum curabat. Cum hic autem obiisset, ille ad efferentes dicebat, “Vir iste, si vino abstinuisset clysteribusque usus esset, profecto minime interiisset.” Tum quidam ex iis, qui aderant, protinus respondens, “Haud nunc,” ait, “O praeclare, oportebat ista te dicere cum iuvare nihil possunt, sed tunc aegrotum de his admonere debebas, cum uti poterat.”

900. Medicus Imperitus

Medicus imperitus, aegrotum visitans, ceteris nihil periculi esse affirmantibus sed tantum diuturniorem fore morbum, eum solus sua ordinaret omnia monebat, crastinam enim non supervicturum; quae cum dixisset, abiit. Paulo post, e morbo surrexit aeger, sed plane pallidus et vix vivens. Medicus obviam factus, “Salve,”

inquit, “quomodo se mortui habent?” “Quiescunt,” respondit ille, “Lethes aquam epoti. Sed nuper Mors et Pluto grave quid medicis minitati sunt, eo quod aegrotos mori non sinant. Iamque singulis conscriptis in eo erant ut te quoque conscriberent, sed ego, iis advolutus exoransque, verum te medicum non esse iuravi, sed falso habitum fuisse.”

901. Aegrotus a Medico Interrogatus

Aegrotus quidam, quonam modo se haberet a medico interrogatus, se praeter modum sudasse respondit. Tum medicus id bonum esse adfirmavit. Rursus autem de morbi statu ab eodem interrogatus, “Febrili,” inquit ille, “frigore captus, vehementi nervorum motu convulsus sum.” “Euge, bonum et istud est,” medicus inquit. Cum autem tertio rogaretur, “Sum,” ait aegrotus, “urinae profluvio quam maxime debilitatus.” Ac medicus, “Bonum hoc est etiam,” tunc quoque respondit. Demum vero, cum ipsum familiaris quidam quomodo se haberet interrogasset, “Ego, amice,” ait, “nimia bonorum copia oppressus iamiam pereo.”

902. Aegrotus et Uxor Eius

Aegrotabat pauper et in morbi gravissimo periculo, cum a medicis desperasset, ad opem Deorum confugit, quibus se, si convaluisset, centum tauros immolaturum esse promisit. Haec uxor illius, ut prope astabat, cum audisset, “Unde, mi vir, tantum,” inquit, “numerum taurorum parare possis, si voti convictus sis?” At ille, “Quid tu, censesne,” inquit, “stulta, caelo descensurum qui illud sacrificium fieri postulet, si ego sanitatem recuperavero?”

903. Aegrotus et Vota Eius

Vir pauper aegrotans haec Diis olim vovebat, “Dii, si valetudinem recepero, centum boves in sacrificium vobis adducam.” Ipsi itaque, eum experiri volentes, a morbo protinus liberarunt. Is autem, sanitati restitutus, quoniam

bobus omnino carebat, centum boves ex farina subacta fictos in ara cremavit, aiens, “O Superi, mea ecce vota explevi.” Dii vero, cum de eo poenas sumere vellent, in somnis oblati, “Ad litus perge,” dixere, “et locum pete quem indicamus, ibique centum auri talenta invenies.” Expergefactus ille, magno cum gaudio in demonstratum locum se contulit aurumque sibi per viam iamiam manibus contrectare videbatur. Illic autem cum in latrones incidisset, ab iisque captus esset, “Dimittite quaeso,” exclamabat, “vobisque mille auri talenta dabo.”

904. Fures et Coquus

Duo adolescentes apud coquum aliquid sese simulant esse empturos. Coquo alias res agente, carnem alter surripit; dat socio ut sub veste occultet. Coquus, surreptam sibi carnis partem ut novit, furti utrumque coepit accusare. Qui carnem sustulerat, per Iovem iurabat se non habere; qui vero habebat, iurabat se non abstulisse. “Me quidem,” inquit coquus, “fur latet; non autem eum latebit per quem iuravistis.”

905. Fur et Stultus

Stultus quidam delubrum intravit. Calceos in vestibulo reliquit et in limine haec verba scripsit, “Ego, cuius hi calcei sunt, admodum validus sum, et mox redibo.” Fur calceos abripuit, et ita subscripsit, “Ego sum cursor velocissimus, nec mihi in animo est redire.”

906. Fures et Rusticus

Dum rusticus agnum portaret ad vendendum, quidam truphator ait sociis suis, “Facite quod dicam vobis et gratis habebimus agnum illum.” Et posuit eos in diversis locis separatim, unum post unum. Transeunte autem rustico, primus ait, “Homo, vis vendere canem illum?” At ille pro minimo reputavit et processit. Cum autem veniret ubi alius stabat, dixit ille, “Frater, vis mihi vendere canem illum?” “Domine, noli me irridere; non fero canem sed

agnum." Cum autem idem tertius dixisset, coepit rusticus admirari et erubescere. Quarto autem et quinto idem dicentibus, tandem opinionibus multorum acquiescens, ait, "Novit Deus quia credebam quod esset agnus, sed quia canis est, de cetero non portabo illum," et, proiecto agno, recessit. At illi tulerunt eum et comederunt.

907. Fur et Caupo

Fur quidam in diversoria taberna moratus est. Videns cauponem nova pulchraque veste indutum, solum ante ianuam diversorii sedentem, ad eum accessit. Fur coepit primum hiare, postea in lupi morem fremere. Quapropter caupo, "Quid hoc," inquit, "rei est?" Cui fur, "Tibi mox indicabo, sed primum, ut meas vestes serves peto, eas enim hic relinquam. Nescio undenam mihi huiusmodi hiatus oriatur sed si tertia vice hiaverim, repente lupus fio hominesque devoro." Vix ea fatus erat cum iterum os aperire ac fremere coepit. His caupo auditis, furem pertimuit, surgensque fugam arripere volebat. Sed fur tunica eum detinens, os aperire coepit, ac tertium hiare. Tum caupo timens ne ab eo devoraretur, relicta penula, in abditissimum diversorii locum fugit. At, penula eius rapta, fur discessit.

908. Fur et Paterfamilias

Quidam paterfamilias, cum iaceret nocte in sua domo, percepit quod fur intendebat intrare domum; et sciens paterfamilias ea quae fur intendebat, dixit intra se, "Silebo huic furi, donec videbo quid agat; et dimittam ipsum, donec congreget omnia quae voluerit. Postmodum vero exsurgam adversus eum et, ablatis omnibus de manu eius, percutiam eum fortiter." Fecit itaque paterfamilias, et siluit illi furi, donec congregavit omnia quae voluit. Ultimo vero rapuit sopor patremfamilias, et fuit hoc in bonum furis; et abiit fur in viam suam illaesus. Post haec vero excitatus paterfamilias et videns cuncta quae acta fuerant a fure et quia recesserat, cepit conqueri adversus

seipsum, et sibi tribuit culpam, sciens sibi non valuisse scientiam, postquam non exercuit illam.

909. Fur Avarus

Valde exercitatus fur egregiam et quaestuosam operam quadam nocte dederat, compilatis aliquot divitum arculis. Itaque auro argentoque refertum sacculum portans, etiam in pauperis aedes devenit. Quas scrutans, cum nihil inveniret rerum pretiosarum, in farinarium tandem vasculum incidit. Ne vacuus autem, contra disciplinam suam, discederet, ponit sacculum, in illum congesturus farinam. At paterfamilias, strepitu excitatus de somno et timens victui suo, in furem, telo arrepto, cum clamoribus irruit. Ille territus ex aedibus, sacculo relicto, fuga evadit. At paterfamilias, excusso igne et lumine illato, magnas praeter spem opes reperit; ille, qui farinam relinquere noluisset, auro et argento caruit.

910. Fur et Puer

Puer sedebat, flens, apud puteum. Fur causam flendi rogat; puer dicit, fune rupto, urnam auri incidisse in aquas. Homo se exuit, insilit in puteum, quaerit. Vase non invento, conscendit atque ibi nec invenit puerum, nec suam tunicam, quippe puer, tunica sublata, fugerat.

Interdum falluntur, qui solent fallere.

911. Fur et Mater Eius

Quidam puer in schola, libellum furatus, suae attulit matri. A qua non castigatus, quotidie furabatur magis atque magis; progressu autem temporis, maiora furari coepit. Tandem a magistratu deprehensus, ducebatur ad supplicium. Matre vero sequente ac vociferante, ille rogavit ut sibi liceret paulisper cum ea loqui ad aurem. Illo permisso et matre properante et aurem admovente ad filii os, dentibus suis matris auriculam evulsit. Cum mater et ceteri qui adstabant eum increparent, non modo ut furem, sed etiam ut impium in parentem suam, inquit,

“Haec causa fuit exitii mei. Etenim si me castigasset prius ob libellum quem furatus sum, nil fecissem ulterius; nunc ducor ad supplicium.”

912. Fur et Carnifex

Damnatus quidam furti ad supplicium ducebatur, qui suam infelicitatem deplorans, “Me miserum,” inquit, “cui moriendum, superstite magistro meo a quo hanc artem didici, quem scilicet plecti oportebat prius.” Huic carnifex “Immo te,” inquit, “qui tam male didiceris, inertiae poenas dare aequissimum est.” Cui fur “At,” inquit, “non fuisse me imperitum furandi confessio mea indicat.” “Debueras igitur,” inquit carnifex, “te exercendi finem facere.”

> *Docet fabula optimum esse a malis facinoribus celeriter desistere, nam quis non peccat in vita et delictis nullis tenetur? Sed optimus ille est qui quod fieri non oportet, id facere cito desinit.*

913. Pirata et Alexander Rex

Alexander olim cum pirata collocutus, “Quo,” inquit, “iure mare infestas?” “Eodem, quo tu terras,” respondit ille; “ego autem latro vocor, quod mihi una solum navicula est; tu victor appellaris, quod classes et exercitus habes. Victorum enim et piratarum maleficia differunt non meritis, sed magnitudine.”

914. Fur et Mel

Puer pravus in tabernam iniit et, dum nemo adest, aliquantum mellis audaci digito ad os afferebat. Quod per rimam mercator vidit, et subito ingressus exclamavit, “Quis hoc mel venenatum in mensa temere reliquit? Id de medio tolle! Quod si quis forte gustaverit, merhercule, peribit!” Quibus dictis, puer sceleris conscius obstupescit. Multis lacrimis furtum confitetur. “Me, precor,” inquit, “a crudeli morte eripe; quodvis remedium potabo.” Homo cum taeterrimam potionem ex variis medicamentis composuisset, austera voce dixit, “Hoc ad faeces quam

celerrime exhauri.” Puer acerbo vultu potionem rapuit, exhausit, et excessit. Totum vicum ululatibus complevit. Qua re doctus postea manus ab alienis abstinuit.

915. Fur et Sicarius

Consociata opera, rem communiter gerebant facinorosi duo, unus fur, alter sicarius. Quadam nocte venere in aedes agricolae, ut putabatur non pauperis, cuius cum non solum aedes compilandas, sed etiam abigenda animalia fur censeret. “Recte,” inquit sicarius, “illo interfecto, omnia exsequi poterimus.” “Prius tamen,” inquit fur, “bovem unam aut alteram educamus, ut si forte tumultus oriatur et fugiendum sit, aliquid abstulerimus.” “Non placet hoc mihi,” inquit sicarius, “ne paterfamilis strepitu excitatus eripiatur manibus meis. “At hoc,” fur, “melius est,” inquit. “Immo illud,” inquit sicarius. Ita inter rixas, iratus fur, patremfamilias inclamat et vigilare iubet, ne vitam amittat. Qui, excitatus, etiam res suas servavit.

916. Sceleratus et Daemon

Vir malignus, cum plurima perpetrasset scelera, saepius captus, et carcere conclusus arctissima et pervigili custodia teneretur, Daemonis auxilium implorabat, qui saepenumero illi adfuit et e multis eum periculis liberavit. Tandem iterum deprehenso et solitum auxilium imploranti, Daemon, magnum calceorum pertusorum fascem super humeros habens, apparuit dicens, “Amice, amplius tibi auxilio esse non possum. Tot enim loca pro te liberando hactenus peragravi ut hos omnes calceos contriverim. Nulla mihi superest pecunia qua alios valeam comparare. Quare pereundum est tibi.”

> *Haec admonet fabula ne existimemus nostra semper impunita fore peccata.*

917. Condemnatus Arbor Eligens

Quidam stultus, condemnatus ad suspendendum, impetravit quod arborem eligeret ubi suspenderetur.

Ductus per nemora nusquam invenit arborem in qua suspendi placeret, et sic liberatus est.

918. Viatores Duo et Latro

Cum viatores duo simul iter faciunt, unus marsupium reperit, aureis plenum. “Eia,” inquit alter, “in commune!” Sed ille negat se ullam lucri partem posse dare, et contendit iure totum uni sibi reservandum, cum ipse unus sit qui invenerit. Interea latro armatus utrique occurrit. Tunc nummorum possessor “Eia,” ait, “dexteram confer vimque vi repellamus; unus duos non vincet.” At comes pauper retulit, “Non tanti est; quid enim hic mihi vacuo abripere possit? Sed tu, qui solus bonum habere volueris, iure solus malum nunc feres.”

919. Viator et Corvus

Quidam per agros iter devium carpens, AVE exaudivit et, moratus paululum, gradum corripuit ut vidit nullum adesse. Iterum sonus idem ex occulto salutat. Voce hospitali confirmatus restitit ut, quisquis esset, par officium reciperet. Cum diu haesisset, errore circumspectans, et aliquot milium tempus perdidisset, corvus sese ostendit et supervolans AVE usque ingessit. Tum, intellegens se lusum, “At male tibi sit,” inquit, “ales pessime, qui festinantis pedes sic detinuisti.”

920. Viator et Lapides

“Isti lapides hercle me conficiunt labore gravi,” inquit viator, “cursumque etiam morantur nec mediocriter! Cur talem molestiam fero, viam saxosam ingressus?” Simulque lapides, quotquot obstant, tollere et eiicere incipit et limitem expurgare, qua pedes facilius sese agere possint. Sed quis enim fructus hinc demum vero redit? Is quadruplum laborem trahit, et moram quadruplam.

> *Homines saepe malum augent dum stulte volunt illud minuere quod sufferendum foret.*

921. Viatores Iuxta Maris Litus

Viatores quidam, iuxta maris litus iter agentes, cum in editum quemdam locum pervenissent ex eoque sarmenta procul natantia vidissent, navem magnam esse arbitrati, restiterunt ut tandem appelleret exspectantes. At sarmenta a vento acta cum propius accederent, haud navem amplius, sed scapham aspicere existimabant. Illa vero ad litus denique delata, ubi sarmenta esse cognovere, "O quam frustra," alter alteri aiebat, "quod nihil erat, exspectabamus."

922. Viatores Duo et Bipennis

Duo una iter faciebant; horum unus repertam bipennem sustulit. Tum alter hortabatur, ne sic loqueretur ut diceret, 'Ego bipennem inveni,' sed sic, 'Nos invenimus.' Hoc ei, qui sustulerat bipennem, non persuadebatur. Mox visis quibusdam, qui se insequerentur cum clamore et concitato cursu, esse eos qui amisissent bipennem coniiciens, "Periimus," inquit. At alter "Dices," inquit, "nunc quoque 'perii,' non 'periimus' - quippe cum 'invenimus' nolueris dicere, sed 'inveni.'"

923. Milites Duo et Latro

Cum milites duo in latronem incidissent, unus profugit, alter autem restitit et dextera forti sese vindicavit. Latrone excusso, comes timidus accurrit stringitque gladium; reiecta paenula, deinde inquit, "Cedo illum; iam curabo sentiat quos attemptarit!" Tunc qui depugnaverat, "Vellem modo istis verbis saltem adiuvisses; constantior fuissem, verba tua vera existimans. Nunc ferrum conde, et linguam futilem pariter. Ut alios ignorantes fallere possis, scio ego, qui expertus sum quantis viribus fugias, quam virtuti tuae non credendum sit."

Haec narratio adsignari debet illi qui re secunda fortis est, sed re dubia fugax.

924. Viatores et Somnia Eorum

Faciebant iter tres communiter, cibosque secum tulere. Duo contra tertium, consilium ineunt quo sua illum portione fraudent. “Cibus,” inquiunt, “non satis est futurus universis; placet igitur nobis eum potiri hoc solum qui maxime admirabile somnium viderit.” Ergo ad somnum capiendum componunt corpora sua. Cum dormirent duo illi, fugit tertius et, esuriens, cibum absumit totum. Postea, experrecti illi duo somnia narrant. Unus “Quam mirum,” inquit, “somnium vidi: visus mihi sum videre arripi magna procella et ante Iovis solium sisti.” Cui alter, “Et ego vidi me similiter impetu quodam venti deferri et in Ditis regia constitui.” Tertius “At ego,” inquit, “mihi visus sum videre unum vestrum raptari in caelum, alterum ad inferos deferri. Numquam igitur redituros vos esse ratus, cibum comedi totum.”

925. Viatores et Pons

Boeotius viator olim una cum Corinthio et Atheniensi noctu ambulabat. Mox comites ad rapidum flumen veniunt. Forte altus pons iungebat flumen. Viatores ascendunt pontem et in aqua sub pedibus imaginem lunae vident. “Ecce,” inquit Boeotius, “pulcher caseus in aqua iacet. Cur nos non praemium deportamus?” Sine mora Boeotius manibus pontem tenet, et suspendit corpus super aquam. Deinde Corinthius prehendit crura amici. Atheniensis habet tertium locum et pedibus praemium captat. Tum exclamat Boeotius, “Vos tenete firmiter mea crura, nam manus durum lignum terit.” Simul laxat manus, et omnes in aquam decidunt.

926. Navigans in Equo

Quidam flumen traiecturus, equo insidens navem conscendit. Cum quis causam percontaretur, “Festino,” inquit.

927. Naufragi Duo

Navis quondam, procellosi maris vi allisa ad oram longinquam, mersis profundo ceteris, rusticum et sophum eiecerat, potus cibique indigos. Vident iam se fame esse perituros, et maerent. Mox tamen sophus “Bono animo es,” inquit; “me duce, fortuna melior sperari potest; hinc ad urbem proximam cito ambulemus et uberes scientiae fontes aperiam. Quid malum sit, quid bonum, quid turpe, quid decorum, gentem barbaram docebo omnesque sanctis artibus institutos adducam ut suas opes quascumque participare nobiscum velint.” At rusticus “Alimenta ventri,” inquit, “iam nimis diu inani, paranda sunt quamprimum; hac ipsa die cenare cupio.” Dixit, simulque proximum petit nemus; ramos defringit arborum, mundat, ligat, defert in urbem, venales pronuntiat, vendit, cibosque emit pecunia facta.

Ars optima quae suo domino victum parat.

928. Navigantes et Gubernator

Quidam olim, nave conscensa, maritimum iter habebant. Cum vero iam in altum processissent, tempestate vehementi repente exorta, navis iamiam demergebatur. Quapropter e navigantibus unus, animo deiectus, magno cum gemitu et eiulatu, deos patrios invocabat, ingentia munera pollicitus si servarentur. Sedata itaque tempestate, cum mare quievisset, ad epulas conversi, summa laetitia gestiebant exsultabantque utpote qui praeter exspectationem periculum evasissent. Durus vero gubernator cum esset, “O amici,” inquit, “sic nos laetari oportet, quasi rursus, si sors ferat, sit tempestas oritura.”

Docet fabula non multum felicitate extolli oportere, fortunae inconstantiam cogitantes.

929. Navigantes in Eadem Navi Inimici

In eadem navi vehebantur duo qui inter se capitalia odia exercebant. Unus eorum in prora, alter in puppi residebat. Orta tempestate ingenti, cum omnes de vita desperarent,

interrogat is qui in puppi sedebat gubernatorem, utram partem navis prius submersum iri existimaret. Cui gubernator “Proram,” respondit. Tum ille, “Iam mors mihi non molesta est, cum inimici mei mortem adspecturus sim.”

930. Pater et Filii Litigantes

Agricola, filios suos videns quotidie litigantes, iussit fasciculum virgarum sibi afferri. Quae cum allatae essent, colligavit omnes in unum fasciculum iussitque singulos filiorum fasciculum capere et confringere. Illis vero confringere non valentibus, solvens postea fasciculum, tradidit singulas singulis eis frangendas atque, illis statim facileque frangentibus, dixit, “Ita et vos, filii mei, si unanimes perstiteritis, invictos vos hostibus praebebitis. Sin minus, ipsa vestra aemulatio opportunam vos praedam inimicis praestabit.”

931. Pater, Filius, et Agrorum Cultura

Rusticus, mortem suam exspectans, cum relinquere filiis suis divitias non posset, animos eorum ad studium diligentis agrorum culturae et ad laboris assiduitatem excitare voluit. Arcessit igitur eos ad se atque ita alloquitur, “Mei filii, quomodo res meae se habeant, videtis. Quidquid autem per omnem vitam reservavi; hoc in vinea nostra quaerere poteritis.” Haec cum dixisset, paulo post moritur senex. Filii, patrem in vinea alicubi thesaurum abscondisse arbitrantes, arreptis ligonibus universum vineae solum effodiunt. Thesaurum quidem nullum inveniunt; terram vero fodiendo adeo fertilem reddiderunt, ut vites uberrimum fructum ferrent.

932. Pater et Filiae Duae

Habens quidam duas filias, harum alteram olitori, alteram vero figulo nuptum dedit. Progressu autem temporis, olitori iunctam convenit eamque quomodo se haberet resque eius uti procederent interrogavit.

Illa autem, nihil quidem sibi deesse ait, sed hoc unum se Deos rogare, nempe ut hiems adveniat et imber, eo nimirum, ut olera abunde irrigentur. Non multo post, ad alteram quoque, quam figulo dederat, invisendam se contulit et eam, simili modo, ut se haberet est percontatus. Cumque illa respondisset se nullius rei indigere, nisi ut purus aether solque lucidus continuo esset, ut nimirum fictile opus exsiccaretur, id pater audiens, "Si tu," inquit, "serenum desideras, tua vero soror hiemem cupit, cui vestrum meas preces adiungam?"

933. Pater, Filius, et Leo

Quidam senior filium habebat unicum, canum venaticorum amatorem. Per quietem hunc viderat a leone trucidari. Territus igitur ne forte eventus aliquando hoc somnium sequeretur, domum extruxit amoenissimam, illuc inducens filium. Custos illi aderat assiduus. Ad filii delectationem domo depinxerat omne genus animalium, cum quibus etiam leonem. Adolescens, haec inspiciens, eo magis molestiam contrahebat. Quodam autem tempore, propius leoni adstans, inquit, "O fera truculentissima, in hac domo asservor propter somnium inane patris mei. Quid tibi faciam?" Et ita dicens, manum incussit parieti, et offendebat in clavo qui illic latebat. Qua percussione manus emarcuit et sanies succrevit et febris subsecuta est et, brevi tempore, mortuus est. Ita leo adolescentem occidit, patris arte nihil iuvante.

Nemo potest devitare quae sunt ventura.

934. Pater et Filius Discipulus

Iuvenis quidam Zenonem philosophum aliquamdiu audierat. Deinde praeceptis philosophiae instructus domum rediit. Tum pater eius "Quid," inquit, "fili, te Zeno docuit?" Filius respondit, "Id, pater, ut spero, ex vita mea perspicere poteris." Ad haec pater, ira motus, arrepto baculo, tergum eius graviter verberavit. Filius aequo animo verbera accepit placideque dixit, "Docuit me Zeno numquam patri irasci."

935. Pater, Filius, et Asinus

Senex cum filio et asello ad mercatum proficiscebatur. Quidam senem culparunt quod asellum neque pater neque filius ascendisset. Tum senex filium asino imposuit. Hoc alii conspicientes, increparunt stultititam senis quod, filio super asinum posito, ipse, aetate confectus, asellum sequeretur. Filio deposito, ipse asinum ascendit. Paulo post audivit alios se culpantes quod parvulum filium tanquam servum post se traheret. Filium ergo asello secum superimposuit. Castigatus est inde ab aliis quod minime aptus est asellus ad tantum onus. Perturbatus tot variis sententiis, tandem asellum pedibus iunctis ligavit atque baculo suspensum, suo filiique collo superpositum, ad mercatum deferre coepit. Omnibus propter novitatem spectaculi ad risum effusis, ille indignatus, supra ripam fluminis consistens, ligatum asinum in flumen deiecit atque ita, amisso asino, domum rediit.

936. Pater, Filius, et Sclavina

Quidam impius homo patrem suum senem faciebat iacere in stabulo et unam vilem sclavinam dederat ei ad induendum. Filius autem illius iniqui hominis valde dolebat de avo suo qui male tractabatur a patre et, accedens ad patrem, ait, “Pater, eme mihi sclavinam.” Cui pater, “Nonne bonas habes vestes? Quid inde vis facere?” “Ego,” inquit, “illam reservabo ut, cum senueris, induam te illa, et tibi faciam sicut facis avo meo, patri scilicet tuo, qui te genuit et nutrivit et quidquid habebat tibi dedit.”

937. Pater Senex Domo Eiectus

Vir quidam, decrepitae senectutis, domo eiectus a filia, in xenodochio degebat. Conspicatus autem filium illac iter habentem, eum rogavit ut saltem duo lintea ex rebus suis, quas tanto sudore paraverat, sibi mitteret. Qui tandem paternis precibus motus, imperat filio suo puerulo ut expedita ad avum lintea ferret. Puer sagax, et tali dignus patre, unum tantum tulit. Increpatus autem a parente

quod non duo, ut iussus erat, attulisset, “Servo,” inquit, “alterum tibi, ut cum decrepitus in xenodochio deges, illud tibi mittam.”

Fabula innuit, qua mente in parentes sumus, eadem liberos nostros in nos futuros.

938. Uxor et Vir, Mercatum Facientes

Vir erat et uxor eius qui Deo voverunt quod non nisi in magnis sollemnitatibus vinum biberent, vel forte cum mercatum facerent. Cum paucis diebus aquam bibissent, coepit homo uxori dicere, “Non possumus hodie omnino abstinere; faciamus mercatum ut possimus bibere vinum.” Et vendidit uxori asinum suum. Sequenti autem die dixit uxor marito, “Eme asinum tuum et bibemus vinum.” Et ita omni die faciebant mercatum ut vinum bibere possent.

939. Mulier Puerpera et Lectus

Instante partu, actis mensibus, mulier humi iacebat, flebilis gemitus ciens. Vir hortatus est ut corpus lecto reciperet, quo onus naturae melius deponeret. “Minime confido,” mulier inquit, “malum finiri posse in loco illo quo conceptum est initio.”

Nemo libenter locum recolit qui laesit.

940. Uxor et Vir Ebrius

Cum mulier quaedam ebriosum virum haberet eumque ab hoc morbo liberare omnimodo vellet, huiusmodi astutiam excogitavit: ut somno eum ex ebrietate correptum sensusque expertem mortui ad instar aspexit, sublatum in humeros ad sepulcretum extulit, ibique deposito discessit. Cum vero eum expergefactum nec vino amplius gravem coniecit, ad sepulcretum reversa, fores eius pulsavit. Vir quis eas percuteret rogat, sed uxor, “Mortuis cibaria ferens, en adsum ego,” respondit. Cui ille, “Non mihi cibum, sed potum, O bone, potius affer; tristem enim me reddis, dum cibi, non potus

mentionem facis.” Tunc coniunx, sibi manibus pectus percutiens, “Heu me miseram,” inquit, “quae ne hoc astu quidem nihil profui tibi! Nam tu, non modo emendatus non es, sed peior quoque temetipso evasisti.”

941. Mulier Indomita et Vir Eius

Mulier, dum lembo amnem transmittit, sorte acerba in mediis aquis vitam reliquit. Vir properat corpus quaerere, lumine iam cassum, quo funeris honos cineri caro adsit. Turba advenit, quae, casus infandi nescia, margine amnis letiferi iter fecit. “Vidistisne meae coniugis vestigia?” inquit. Unus refert, “Non equidem vidimus ulla; ut mersam invenias, cymba facili delabere, qua in praeceps unda volvitur vado prono.” “Ne quaeras illic,” subridens excipit alter; “potius converso lintre viam reflecte. Quantumvis celeri flumine rapta sit, caput rebelle indomitam retro ire compulit.”

942. Mulier et Vir Pediculosus

Mulier quaedam, admodum viro contraria, semper verbis eius obiurgando refragabatur. Habita semel cum viro gravi altercatione, maritum pediculosum vocavit. Ille, ut verbum id retractaret, uxorem verberibus contendebat. Quo magis caedebatur, eo plus illa pediculosum appellabat. Vir tandem verberando lassus, ut uxoris pertinaciam superaret, per funem in aquae puteum demisit, suffocaturum se dicens, nisi verbis eiusmodi abstineret. Instantius perseverabat, etiam in aqua mentum usque constituta, verbum illud continuans. Tum vir, ne amplius loqui posset, in puteum demersit, tentans si eam mortis periculo a verborum pertinacia posset avertere. At illa, loquendi facultate adempta, digitis exprimebat; nam manibus super caput erectis, atque ungulis utriusque pollicis coniunctis, saltem quod potuit gestu, viro pediculos obiiciebat; unguibus enim digitorum pediculi sic occiduntur.

943. Uxor Morosa et Vir Eius

Erat nupta cum quodam mulier iracunda et morositate intolerabilis toti familiae. Hic cognoscendi cupidus utrum suane tantummodo, an etiam paterna domus ferre illam nequiret, bona cum gratia quasi magna res agatur, ad patrem eam remittit. Post dies non multos revocatam interrogat quam recte sibi cum familia paterna convenisset. “Bubulci,” inquit illa, “et pastores mihi visi sunt offendi mea praesentia.” Ibi vir, exclamans, “Mulier,” inquit, “si gravis et invisa iis fuisti qui prima luce domo egrediuntur et eadem postrema revertuntur, quid de aliis suspicandum cum quibus totus dies versata es?”

944. Uxor et Vir Ovum Pariens

Vir quidam experiri volens an uxor commissa tegeret, “Uxor,” inquit, “magnum portentum mihi hac nocte contigit (cum illa enim cubans hoc dicebat) quod enarrarem, si a te non efferri arbitrarer.” Cui uxor, “Potius mortem mihi paterer inferri quam aliquid contra tuam voluntatem efferrem.” Tunc maritus quasi verbis illius fidem haberet, “Peperi,” inquit, “hoc ovum” (dormitum enim proficiscens ovum secum attulerat); “sed cave si me amas, ne cui hoc dicas. Tute enim nosti, quanto dedecori mihi esset, si ex viro gallina factus dicerer.” Vix ergo aurora rutilante, commatrem conveniens, narrat maritum duo ova peperisse. Illa vero alteri mulieri compatrem suum tria ova enixum esse. Quid multis moror? Antequam sol occideret, per totam urbem, vulgatum est hunc hominem ad quadraginta ova peperisse.

945. Vidua et Miles

Mulier, privata viro suo, coepit flere, capillos detrahere, in tantum dolere ut nec prece nec minis vellet a tumulo defuncti recedere. Miles igitur, custodiens latronem suspensum, sitiens, venit ad illam, petens aquam. Qui cum inquireret causam maeroris et illa ei diceret, coepit eam consolari. Cumque ille frequentaret, et aliquando rediret ad patibulum et tum rediret ad eam, tantum fecit

quod ipsum mulier adamavit. Accidit autem ut latro sibi furaretur. Quo cooperto, venit ad mulierem, damnum suum et periculum narrans. Quae dedit consilium ut maritus suus a terra extraheretur et loco furis suspenderetur. Cum diceret miles quia latro amiserat dentes anteriores, mulier, accepto lapide, confregit dentes mariti sui et fecit suspendi.

946. Vidua et Arator

Mulier quaedam, cum recenter suum virum sepelivisset, quotidie ad tumulum profecta, plorabat. Arans autem quidam, non procul a sepulcro, amore captus est mulieris et, derelictis bobus, ivit et ipse ad tumulum ac sedens una cum muliere plorabat. Cum illa rogaret curnam et ipse sic lugeret, “Quoniam et ego,” inquit, “decentem mulierem sepelivi. Si igitur in eadem incidimus mala, curnam invicem non coniungimur? Ego etenim amabo te ut illam, et tu me rursus ut tuum virum.” His persuasit mulieri, et convenerunt. Interim autem fur profectus et boves solvens abegit. Ille autem reversus, non inventis bobus, plangere vehementer instituit. Profecta igitur et mulier et lamentantem inveniens inquit, “Iterum ploras?” Et ille “Nunc,” ait, “vere ploro.”

947. Vidua et Asinus Viridis

Vidua quaedam, coelibatum exosa, nubere cupiebat sed non audebat, verita vulgi irrisiones, qui maledictis eas solet incessere quae ad secundas transeunt nuptias. Sed commater eius quam contemnendae essent populi voces hac arte monstravit. Iussit enim asinum album, quem vidua habebat, viridi colore depingi et per omnes urbis vicos circumduci. Quod cum fieret, tanta admiratio ab initio omnes invaserat ut non solum pueri, verum etiam senes hac re insolita moti, asinum animi gratia concomitarentur. Deinde, cum huiusmodi animal quotidie per urbem duceretur, desierunt admirari. “Itidem,” inquit ad viduam commater, “eveniet tibi.

Si enim virum acceperis, per aliquot dies eris fabula vulgi. Deinde hic sermo conticescet.”

948. Virgo et Iuvenes Duo

Virginem unam exspectebant iuvenes duo, sed locuples tandem formam pauperis vicit. Ut nuptiarum dies advenit, turba concurrit frequens et Hymenaeus coniugalem facem praefert. Pauperi autem asellus erat, qui solebat domino suo quaestum deferre, et puellae parentes casu illum conducunt ut eam vehat. Repente, Veneris misericordia, caelum ventis movetur, intonat fragor, et lux rapitur oculis; grandinis vis trepidos comites dissipat, quemque cogens sibi praesidium petere fuga. Asellus tectum notum subit et voce magna sese venisse indicat. Procurrunt pueri, pulchram virginem aspiciunt et admirantur; deinde domino nuntiant. Ubi nuntiatum est, pauper, gaudio recreatus, Baccho hortante et Venere, dulces perficit nuptias. Filiam quaerunt parentes per praeconem; locuples coniuge amissa dolet. Postquam populo innotuit quid actum esset, omnes caelitum favorem comprobarunt.

949. Rhodopis et Aquila

Rhodopin meretricem omnium Aegyptiorum ferunt pulcherrimam fuisse. Cui aliquando lavanti, Fortuna (inopinatorum atque inexspectatorum amans) contulit munus non isto animo, sed venustate dignum. Cum enim lavaret atque vestimenta famulae custodirent, aquila devolans alterum calceum abstulit eumque secum deportavit Memphim, iudicium exercente Psammeticho, et in eius sinum calceum iniecit. Psammetichus, miratus pulchritudinem calcei et fabricationis artem atque concinnitatem et avis factum, mandavit ut per universam Aegyptum quaereretur femina cuius is calceus esset, eamque inventam in matrimonium accepit.

950. Puella Superba

Puella superba sperabat sponsum iuvenem, scitum, venustum, elegantem, nec frigidum; insuper divitem, nobilem, et ingeniosum. Accedunt proci insignes; hos minoris facit puella. “Mene,” inquit, “hoc vile genus! Delirant! Me pudet!” Huius ingenio deerant gratiae; illi nasus turpis. Modo hoc, modo illud arguitur. Exactis divitibus, prodeunt mediocris fortunae viri. Illa deridet. “Benigna sum,” inquit, “quae aequo animo excipio tales. Existimant me angi multum ut nubam; verum caelibem hilaremque vitam dego.” Dum puella his dictis sibi indulget, forma deteritur annis; amatores abeunt. Unus et alter effluit annus; advolat aegritudo animi. Quotidie elapsos sensit risus, iocos, deinde amores. Muta voce quoties aiebat speculum: “Viro nubere propera.” Praeter omnium exspectationem, haec nupsit tandem ignobili imbecillique viro, quem vix captare potuit suis artibus.

951. Mulier et Speculum

Mulier quae pulchra fuerat, cum senesceret, turpicula esse incepit. Amabat tamen, ut prius, in speculi sui laevitate se inspicere, at iam nulla imago inde remittitur quae eius animo non suggerat augurium triste de omnibus Venerum et leporum reliquiis, iam ruinae proximis. Illa ingemiscit, lacrimat, mox irascitur, et, stultissimo vindictae amore furens, speculum nimis fidele effringit. Quo tamen, quo denique res ipsi redit? Speculi quidem fragmenta innumera per pavimentum iacent, sed ipsa totidem specula sunt, quae singula turpitudinem suam dominae obiiciunt.

> *Homines, dum vitia quaedam abscondere volunt, saepe faciunt ut ea clarius appareant.*

952. Concubinae Duae

Senex, cuius caput respersum iam erat canis, habebat concubinas duas, moribus et aetate dissimiles, nam altera iuvencula et lascivior, altera aetate provecta et severior

erat. Ut igitur ad harum alteram forte accesserat, ita crines non similes suis dormienti vellebantur. Carpebat enim iuvencula albos, senior vero nigros. Tandem ille calvo capite omnibus risui fuit.

953. Anus et Amphora

Anus amphoram epotam iacere vidit, quae adhuc e testa nobili odorem iucundum, Falerna faece, late spargeret. Postquam avida totis naribus odorem traxit, “O suavis anima,” ait, “quale bonum in te dicam antehac fuisse, cum tales sint reliquiae!”

954. Servus Piger

Servus piger erat qui numquam de lecto suo nolebat de nocte surgere. Sed, cum diceret ei dominus, “Surge et vide si pluat,” ipse de loco suo canem, qui custodiebat domum exterius, vocabat et, si eum complutum sentiebat, dicebat, “Domine, pluit,” simulans se de lecto surrexisse. Cum autem diceret ei dominus, “Surge et vide si habemus ignem,” vocavit catum et, quando sentiebat eum calidum, dicebat “Domine, satis habemus de igne.” Dominus autem eius, mane surgens, inveniebat quod ostium tota nocte fuerat apertum et, cum quaereret cur ostium non firmasset, respondebat, “Quare clauderem de nocte cum in mane oporteret me ipsum aperire?”

955. Servus Nihil Faciens

Vir quidam verberibus castigabat servum maxime ob pigritiam. Hic clamare coepit, “Cur me verberas? Nihil enim feci.” At “Propter id ipsum,” respondit herus, “te verbero, quod nihil fecisti.”

956. Servus Aethiops et Dominus Eius

Aethiopem emit aliquis, persuasus colorem ex negligentia eius qui prius habuerat contractum esse. Cum vero domum duxisset, omnia quidem ei adhibuit purgamenta omnimodisque lotionibus conatus est ad pristinum, ut

putabat, nitorem reducere. Sed cum colorem transmutare non posset, morbum novo labore attulit.

957. Servus et Asinus

Servus cuiusdam agricolae asinum domini sui ex alta rupe praecipitem dedit, ne quotidie huc et illuc illum agere cogeretur, mentitusque est domino illum sponte sua se deiecisse. Ob hoc dominus servum compellebat omnia humeris suis ferre quae ante asinus portabat. Quod servus nequam animadvertens, “Male,” inquit, “mihi consului, cum innocentem conservum meum peremi, qui me tanto labore levabat. Iuste nunc plector.”

958. Servus Fugitivus et Pistrinum

Fugitivum servum aliquantisper quaesitum conspexit quodam tempore dominus. Quem dum sequitur ut retraherent ad se, ille, poenae metu et conscientia delicti territus, fugiebat atque in pistrinum quod proximum esset sese abdebat. Ibi dominus, ipso invento, “Quonam,” inquit, “in loco deprehendi magis idoneo potueras?”

959. Servus et Dominus Eius Incensus

Homo quidam, ira contra servum incensus, “Non,” inquit, “in pistrinum ego te detrudam, sed Olympiam ducam.” Putabat enim ille, ut par est, multo durius esse supplicium si Olympia spectans a radiis solaribus conqueretur quam si in molam ad molendum dederetur.

960. Servus Profugiens et Aesopus

Servus, dominum naturae asperae profugiens, Aesopo occurrit, notus e vicinia, qui ei inquit, “Quid tu confusus?” “Pater, namque dignus es hoc nomine appellari, clare tibi dicam, quia tuto apud te querela deponitur. Plagae supersunt, desunt mihi cibaria. Subinde ad villam sine viatico mittor. Si domi cenat, totis noctibus persto; sive vocatus est, ad lucem in semita iaceo. Libertatem emerui; canus servio. Si mihi ullius culpae conscius essem, aequo

animo ferrem. Satur numquam factus sum et insuper saevum dominium infelix patior. Propter has causas et quas promere longum est, abire quo pedes tulerint destinavi.” “Ergo,” Aesopus inquit, “audi: cum nil mali feceris, haec incommoda experiris, ut refers. Quid si peccaris? Quae te passurum putas?” Tali consilio a fuga deterritus est.

961. Puer et Praeceptor

Puer, osor litterarum, in ludum litterarium a patre deductus, nullis magistri blanditiis induci poterat ut primam alphabeti proferret litteram. Tum praceptor “Aperi os,” inquit, “quod huius litterae exigit enuntiatio.” Ille vero hiabat, sed absque voce. Praeceptor, videns laborem suum irritum (neque enim puerulum ac novitium verberandum censebat) iubet eum inter condiscipulos sedere, eos monens ut illi persuadeant hanc vel saltem litteram efferre. Tum condiscipuli pro virili quisque eum hortabantur, dicentes, “Estne tantus labor A dicere?” At puer versutus “Non est,” inquit, “arduum dicere A, sed si A dicerem, vellet ut B dicerem, et C. Non erit ea vis praeceptori patrique ut discam.”

Fabula indicat nolentes discere, a nemine posse compelli.

962. Puer et Paedagogus

Puer ad fluminis profundi oram ludens pede lapsus est. At salix opem dat, prensa labentis manu, et eum pendulum sustinet ne pereat in undae voraginem mersus. Paedagogus, cum huc venisset, inquit, “Istos nebulones meos sic evagari! Hoc sinam? Sic mihi non obsequi! Hoc patiar? Te quidem periculo praesenti eripiam, ludio proterve, at profecto non feres impune. Namque te modo, simul ac domum reduxero, flagris perbelle admonitum dabo, quantum satis erit ut facti memineris diu.” Puer, diro flagrorum metu externatus, salicem relinquit et perit, fluctu obrutus.

Libido magis increpandi quam iuvandi quoddam paedagogorum genus permovet.

963. Puer Avidus et Bellaria

Vas vitreum, satis quidem capacis alvi at gutturis paulo arctioris, nuces servabat, saccharo tenaci circumlitas. Quorum corticis albicantis illecebras cum claustra pellucida foras transmitterent, puer tantam bonorum copiam simul adspicit, simul accedit, fruendi cupidus. Manus vacua facile descendit quo properat; evadere autem iam nimis plenam non potest. Ille praedam quam tenet amittere negat. Obstinatus pugnat, et nil proficit; flere ergo coepit. Aliquis pervicaciam stultam miseratus ait, “Si tot simul capessere velis, tibi nullam habere fas erit; sed si singulas sumpseris, omnes habebis.”

Cupiditas nimia ipsa sibi semper nocet.

964. Puer Viscera Vomens

Ingurgitarat se puer visceribus festo die quodam. Quae, cum non posset concoquere alvus, frusta horum ille evomebat. Tum “O mea mater,” territus exclamat, “viscera evomo.” Cui illa “Recte, mi fili,” inquit, “non enim tua, sed aliena ista bubula vomis.”

965. Puer et Nux Castanea

Puer quidam nucem castaneam forte repererat; coquendam cineri fervido statim commisit. Illa, ubi aestus non tolerabiles sensit, cruciatus suos stridore querulo indicare coepit. At puer immisericors, nihil motus quin et aspere iocans, dixit, “Ego scio qua ratione naenia ista, sine modo funebris, comprimi possit,” et simul prunarum copiam cineri super addidit. Nux misera, iniquis ardoribus evicta, cortice dissoluto, crepuit. Sed non inulta: sic rupta, magno enim nisu se sustulit, et ipsas prunas expulit in faciem et oculos imprudentis, non sine genarum damno et luminum periculo.

Hostis metuendus qui furit, vel dum perit.

966. Pueri Duo

Pueri duo, alter stultus, alter autem callidus, in commune aliquot nuces invenerant. Quas cum callidus fregisset, putamina cassa stulto dedit et nucleos sibi sumpsit. Frustra ille experitur quid hoc quod tenet prodesse queat, et intellegit sese deceptum. At dixit, “Me non decipiet ultra! Fraudem eius probe ulciscar, si qua fors ferat.” Postmodum cum hi ambo die quodam oleas similiter reperissent, puer qui pari dolo fallaciam nuper sibi factam corrigere cupiebat inquit, “Id quod intra est, da mihi; tibi tolle quod est extra.” Socius in sinu gaudet et, illico iubenti morem gerens, carnem oleaginam, dulcem cibum, sibi capit et misello ultro tradit nucleos duros.

Nil usus adiuvat, ubi deest prudentia.

967. Pueruli Duo Fratres

Natura et communis vitae usus fratres duos puerulos amore mutuo coniunxerat. Unus amborum forte tentatus est levi brevique morbo; venam tamen secari oportuit, sic medico iubente. Quod videns, alter protinus adflere coepit. Secum reputans, aeger ait, “At iste motus pius misericordiae mihi placet; nunc intellego me ab eo amari, magis etiam quam credidi.” Postridie, cum salus prima rediisset, germanum adspexit crustulorum copia instructum; rogat ut partem sibi dare velit. Ille vero negat. “Quid? Mihi lacrimas pias heri dedisti,” ait, “et nunc crustulum negas?” “Nego vere,” alter ait; “Natura dat lacrimas, non crustula.”

Nota speciosa sanctam amicitiam saepe testatur,
at raro res ipsa fidem facit.

968. Adolescens Piger

Cum adolescentis pigritiam culparent socii quod tamdiu in lecto maneret, ridens respondit, “Adsunt enim mihi mane, cum expergiscor, duae muliebri habitu vestitae, Industria et Pigritia. Quarum altera surgere hortatur et aliquid operis facere neque diem in lecto terere; altera,

priorem increpans, quiescendum inquit et propter frigus in lecto permanendum neque semper laborandum. Dum hae inter se diu disputant, ego, aequus iudex, audio disputantes. Hinc fit ut surgam tardius, litis finem exspectans."

969. Iuvenis et Vir Senex

Vir decrepitae senectutis irridebatur a iuvene quodam ut delirus quod arbores insereret, quarum non esset poma visurus. Cui senex "Nec tu," inquit, "ex iis, quas nunc inserere paras, fructus fortasse decerpes." Nec mora; iuvenis ex arbore, quam surculos decerpturus ascenderat, ruens collum fregit.

Fabula indicat mortem omni aetati esse communem.

970. Calvi Duo et Pecten

Calvus forte pectinem invenit in trivio. Accessit alter, aeque pilis defectus. "Heia," inquit, "in commune quodcumque est lucri!" Ille praedam ostendit et adiecit simul, "Superum voluntas favit; sed Fato invido carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus."

Quem spes delusit, huic querela convenit.

971. Calvus et Crines Alieni

Subita aura sustulit crines mentitos calvi equo vecti. Comites rident; ipse quoque ridens ait, "Quid mirum est si crines, qui non erant mei, abierunt? Illi enim abierant, qui prius Natura mei fuerant."

972. Senex et Cani Tincti

Quidam aetate provectus venit Lacedaemonem. Cum vero et alias turgeret superbia, et senectutis suae eum puderet, canos occulere conabatur tinctura. Itaque cum in conspectum Lacedaemoniorum prodisset, ostenso tali capite, exposuit quorum gratia venerat. Consurgens itaque rex Lacedaemoniorum, "Quid," inquit, "hic sani

diceret, qui non animum tantum gerit mendacem, sed etiam caput?”

973. Iactator et Aesopus

Cum Aesopus sophus Phryx forte vidisset victorem gymnici certaminis iactantiorem, interrogavit an adversarius plus nervis valuisset. Ille ait, “Ne istud dixeris; multo maiores vires meae fuere. “Stulte,” inquit, “quod decus meruisti ergo, si tu fortior minus valentem vicisti? Ferendus esses, si diceres te arte eum superasse qui te melior viribus esset.”

974. Iactator in Patriam Reversus

Homo quidam, reversus in patriam, unde aliquot abfuerat annos, ubique gloriabatur iactabatque praeclara sua facinora. Inter alia narrabat in insula Rhodo saliendo se vicisse optimos in hac exercitatione artifices. Ostendebat etiam spatii longitudinem quam praeter se nemo potuisset saltu superare, cuius saltus testes se habere universos Rhodios dicebat. Tum unus ex adstantibus “Heus tu,” inquit, “si vera narras, nihil opus est istis testibus. Hic Rhodum esse puta, hic salta.”

975. Iactatores Duo, Atheniensis et Thebanus

Civis Atheniensis cum Thebano cive viam carpebat communiter et, ut fit, confabulabatur. Sermoque cum flueret, ad heroas usque delapsus est, prolixum quidem cetero argumentum, nec necessarium. Tandem Thebanus natum Alcmenae hominum maximum et nunc deorum quoque esse praedicabat. Qui autem Athenis oriundus multo praestantiorem Theseum fuisse reponebat, cum sortem vere divinam esset sortitus, servilem Hercules. Et ita locutus vincebat; disertus enim fuit rhetor. Alter vero, non aequa, quippe Boeotus, oratoriae concertationis arte pollens, rude Musa dixit, “Desine. Vincis. Igitur nobis Theseus irascatur, Atheniensibus Hercules.”

976. Alexander et Lacedaemonii

Alexander, superato Dario et Persarum regno in suam potestatem redacto, sapiens altum et, ob prospera fortuna qua tum usus fuerat, divinos spiritus gerens, Graecis scripsit, ut se deum facerent; satis equidem stulte, neque enim quae natura ei largita non fuerat, haec ab hominibus petendo consequebatur. Itaque, aliis aliter statuentibus, Lacedaemonii decretum eiusmodi fecerunt: "Quoniam Alexander deus esse vult, esto deus." Laconice simul et patrio more redarguentibus Lacedaemoniis stuporem et vecordiam Alexandri.

977. Annon et Aves

Annon Carthaginensis prae nimio fastu, noluit intra hominum septa permanere, sed praestantiorem de se famam evulgare statuit quam natura, quam sortitus erat, pateretur. Itaque plurimas aves ad perdiscendas cantiones idoneas coemit, et in tenebris obscuroque aluit, solumque unam cantilenam eas docuit, "ANNON EST DEUS." Quae cum haec una dumtaxat audita voce, eam complexae essent consuetudinem, aliam alio in diversas plagas dimisit, arbitratus hoc avium carmen de se vulgatum iri. At illae semel alis solutae, libertatemque adeptae, et ad consuetum sibi victum reversae naturalem cantum ediderunt, et avium modulationes recoluerunt, longo vale Annoni doctrinaeque, qua in servitute fuerant imbutae, dicto.

978. Zoilus

Zoilus "canis rhetoricus" nominatus est. Erat is talis: barbam promissam alebat, caput usque ad cutem radebat, pallium supra genua pendebat, studiosus male loquendi, ferendis litibus operam sedulo dabat; contumeliosus denique et ad reprehensiones proclivis erat miser ille. Et cum rogaret ab eo quidam eruditus vir, quamobrem omnibus male loqueretur, "Quoniam," inquit, "male facere cum velim, non possum."

979. Avarus et Leo Aureus

Timidus una et avarus, leone aureo reperto, seipsum sic alloquebatur, “Quis modo sim nescio, et quid agam ignoro, ita sum mente animoque deiectus. Hinc me auri copia, hinc timor rapit. Quae fors igitur, quisve deorum aureum leonem effinxit? At nunc meus animus in praesentia sibi ipsi adversatur. Amat enim aurum sed metuit, ne auro insidiae subsint. O Fortuna, quae te mihi praebes, neque frui permittis! O iniucundus thesaurus! O inutilis gratia deorum! Quomodo nunc utar? Quid consilii capiam? Profecto domum abibo, domesticos accersam, quorum numero et auxilio fretus hanc auri massam hinc asportabo, ac simul procul spectator ero.”

980. Avarus et Montes Aurei

Cum audiisset quidam esse in India montes aureos, summo cum labore et per ingentia pericula illuc contendit. Quo cum tandem pervenisset, reperit obsideri illos, et custodiri aurum a gryphibus et montes esse inaccessos. Deplorans igitur iter tempusque perditum, et se afflictum ambulando, ita cum dolore et labore aliquanto magis molesto quam accessionis fuerat, inanis domum revertitur.

> *Imprudentes saepe appetunt ea, quibus*
> *neque potiri neque frui possunt.*

981. Avarus et Fur

Avarus quidam, suis omnibus bonis divenditis, auri massam emit eamque iuxta domus parietem profunda in fovea depositam summa cura servabat, accedensque continuo revisebat. Operarius autem quidam, qui eodem in loco versabatur, cum ipsum eo frequenter ire atque redire animadvertisset, statim quid rei esset intellexit. Olim itaque, postquam inde avarus discessit, eam auri massam subripuit. Reversus ille ac locum vacuum conspicatus, flere protinus atque capillos sibi vellere coepit. Quem ita se discruciantem cum quidam vidisset,

ubi rei causam agnovit, “Ne doleas,” inquit, “sed lapidem cape, eodem in loco reconde et aurum ibidem esse finge tibi; auro enim, nec tum cum aderat, utebaris.”

982. Avara et Gallina

Vidua habebat avem, quae ei quotidie unum pareret ovum. Largius ergo istam incepit alere, existimans fore ut, abundantius nutrita, duo pareret ova. Avis contra, nimiis alimentis facta obesior, ne unum quidem, ut antea, eniti potuit ovum.

> *Qui maiora concupiscunt, parva quae possident saepissime solent amittere.*

983. Avarus Agros Custodiens

Vir quidam extremae avaritiae emit praedia admodum feracia et omni fructiferarum arborum genere referta, quae priori domino amplissimos fructus reddebant quamvis immunita essent et cunctis viatoribus pervia. Ratus igitur novus dominus, si melius coleret et diligentius custodiret, uberiores fructus se inde capturum. Optime colere coepit et densis vepribus et parietibus clausit custodesque diligentes apposuit. Verum post hanc diligentem custodiam agri parum fructus illi reddebant. Consultus autem Deus unde hoc accidisset, ita respondit:

IPSE MALI TANTI CAVSA ES, QVI SEPIBVS AGROS
PARIETIBVSQVE ARCTIS OBSTRVCTOS VNDIQVE SERVAS;
MVLTA DEDI QVONDAM, QVIA MVLTI MVLTA PETEBANT;
VNI SERVIT AGER TIBI NVNC, CVR TANTA REQVIRIS?

> *Fabula indicat liberali viro Deum multa largiri, quo multorum indigentia valeat subvenire.*

984. Avarus et Poma Marcescentia

Vir avarus plurima pulcherrimaque poma collegerat, qualia in hortis Alcinoi et Hesperidum fuisse poetae fabulantur. Quae ita parce edebat ut, nisi corrumpi inciperent, non esse auderet. Huius filius, oppido liberalis, sodales suos ad pomaria saepe ducebat,

dicens, “Accipite ex his quae vultis omnia, praeter marcescentia; illa enim pater meus in secunda mensa semper sibi iubet adferri.” Huic praecepto illi libenter obtemperabant.

Fabula indicat homine avaro nihil esse miserius, quia aliis custodit quae ei Deus fruenda concessit.

985. Avarus et Invidus

Avarus et invidus orabant Iovem; Apollo mittitur ut eorum votis satisfiat. Qui utrique dat liberam optandi facultatem, hac conditione ut quodcumque alter petiisset, alter idipsum acciperet duplicatum. Haeret diu avarus petitque non pauca, et duplum accepit socius. Invidus tandem hoc petivit ut ipse uno privetur oculo, laetus socium mulctandum esse utroque.

Avaritiam nihil satiare potest, at invidia nihil est dementius quae, dummodo alteri noceat, sibimetipsi imprecatur malum.

986. Avarus, Ignis Repertor

Qui primus ignem reperit, vivido splendore eius captus, in sinus suos illum recondidisse fertur ne cum ceteris hominibus tanti boni vim communicare cogeretur. At ignis, sic reconditus, amatoris sui viscera sensim peredit.

Fabella notat avari pectori vitium; simul indicat ipsi quam noxiae sint opes.

987. Avarus et Aureorum Sacculus

Vir quidam avarus, qui ingentem aureorum acervum male partum relicturus moriebatur, interrogabat sacculum nummorum, quem morienti sibi iusserat afferri, quibus voluptatem esset allaturus. Cui sacculus “Heredibus,” inquit, “tuis qui nummos a te tanto sudore quaesitos in scortis et conviviis profundent, et daemonibus qui animam tuam aeternis suppliciis mancipabunt.”

Haec indicat fabula stultissimum esse in iis laborare quae aliis gaudium, nobis autem sint allatura tormentum.

988. Avarus Moriens et Amici Eius

Vir avarus, moriens, cum tunc demum intellegeret nihil secum laturum, vertit se ad amicos et propinquos quos praesentes cernebat, dicens, “Disce a me, qui omne vitae tempus struendis opibus incubui ne nimium studeatis congregare divitias. Ex tot enim terrae iugeribus, et tam pretiosis vestibus, quas tanto sudore paravi, quinque pedum fossam, et linteamen unum, quo mortuus tegatur, possidebo.”

989. Divitiae Regis

Rex erat dives et potens valde, quem cum quidam miraretur et felicem diceret, rex sapiens illum sedere fecit in loco valde eminenti, super cathedram quae minabatur ruinam, magnumque ignem subtus cathedram accendi fecit et gladium cum filo tenui super caput sedentis suspendi. Cumque fecisset apponi copiosa et delicata cibaria, dixit ei ut comederet. At ille, “Quomodo comedere possem, cum in summo periculo sim constitutus et semper timeam ruinam?” Cui rex ait, “Et ego in maiori periculo sum constitutus, in cathedra ruinosa residens, timens gladium divinae sententiae et ignem gehennae. Quare ergo tu dixisti me felicem?”

990. Dives et Thesaurus Eius

Vir quidam admodum dives, thesaurum in silva infoderat, nemine praeter compatrem cui plurimum fidebat conscio. Sed cum paucis post diebus ad eum visendum accessisset, reperit effossum atque ablatum. Suspicatus igitur id quod erat a compatre sublatum, eum conveniens, “Volo,” inquit, “compater mi, mille aureos, ubi thesaurum abdidi, adhuc infodere.” Compater, cupiens plura lucrari, retulit reposuitque

thesaurum. Quem cum verus dominus paulo post accedens reperisset, secum domum tulit, conveniensque compatrem, inquit, “Fidefrage, ne sumas inanem laborem, ut ad thesaurum accedas; amplius enim non invenies.”

Fabula indicat quam facile sit virum avarum spe pecunia decipere.

991. Divitiae et Simulacrum Sacrum

Quidam, domi suae, consecrata nescio cuius divi lignea statua, colere hanc et sertis ornare assidue solebat et petere ab hac divitias et opes. Sed hoc cum frustra longo tempore fecisset (non modo enim non augebatur res ipsius, sed etiam diminuebatur), iratus tandem, apprehensum pedibus simulacrum terrae inflixit. Illiso autem forte in saxum capite effractoque, magna vis auri effunditur quod in eo fuerat inclusum. Hoc colligens, ille “Magna est,” inquit, “perversitas tua, dive, qui venerantem te neglexeris et affligentem ditaveris.”

992. Dives et Lyra Eius

Graeculus olim lyram optimam coemerat, unde sonos suaves elicere didicerat. Ex nervis autem bubulis, quibus omnis lyrae suavitas bene canora vigebat, unus demum attritus rumpitur ac perit. Quod damnum ille ut reparet ad novam et inusitatam viam sibi recurrendum putat: sibi in sinu plaudens, nervum ruptum amovet et, amens, chordam reponit argenteam. At mox paenituit, namque plane contigit ut lyra priorem symphoniam amitteret.

993. Dives et Praeficae

Dives quidam, duas filias habens, altera earum defuncta, praeficas mercede conduxit. Tum vero altera sic matrem alloquitur, “Heu nos miseras, quae flere nescimus, cum nobis tale infortunium contigerit. Hae vero, licet nulla nobis necessitate coniunctae, sic vehementer pectora tundunt ac

lugent." Cui mater "Ne mireris, filia," respondit, "si tam flebiliter istae lamentantur; id enim nummorum causa tantummodo faciunt."

994. Gulosus et Olla Pretiosa

Gulosus erat qui ventri serviebat. Cum igitur olla conqueretur in caupona, tamtisper delectabatur et seipsum odore pascebat. Cum vero magis magisque ei appetitus insurgeret, et natura superaret (natura, O Dii, nequissima!), non amplius hoc sustinens iussit puerum ollam emere. Qui cum responderet cauponem eam magno pretio vendere, "Hoc suavior," inquit, "et iucundior erit quo maiori pretio eam emero."

> *Sunt haec etiam memoriae prodenda non ut ad imitationem eorum inducamur, sed ut fugere et declinare possimus.*

995. Dives et Vidua

Quidam dives multas habuit vaccas, et erat quaedam vidua eidem proxima, unam tantummodo habens vaccam pinguem; quam dives ille concupiscens ait servo suo, "Ecce vidua illa pinguissimam habet vaccam, vade et adduc mihi illam." Qui, praeceptum domini sui faciens, domino suo illam adduxit; qui iussit eam interfici, quia pinguis erat, fecitque partem decoqui, partemque assari, et ad prandium suum deferri. Sed, primo morsello inde assumpto suffocatus, ille dives interiit.

996. Divitiae et Homines Duo

Quidam, inopia perditus, statuit mori. Laqueum aere quod superfuit paravit, collo alligavit, et clavum semirutae domus parieti fixit, unde pendens litteram longam ex se faceret. At cum paries, ponderi sustinendo impar, in ruinam propensus foret, ultro secutus est et magnam auri copiam simul effudit. Ille, qui iam cogitaret nihil praeter nigras Erebi umbras, ubi se videt sic deiectum et illaesum, nodo tenaci se eximit, laqueum abiicit,

munus fortunae oblatum recolligit, et lares suos repetit, gravis onere dulci. Interea, avarus qui hunc ipsum thesaurum ibidem locaverat advenit et, damno cognito, victus et exterritus ait, “Heu! An feram meos amores mihi sublatos fuisse vivamque? Quid prodest misero vivere?” Visoque laqueo, se suspendit et perit.

997. Dives et Sutor

Sutor quidam ab oriente sole ad occidentem cotidie cantabat. Vicinus eius contra, argentarius bene nummatus, haud multum canebat, minus dormiebat. Cantorem tum argentarius ita interrogavit, “Dic mihi,” inquit, “mi vetule, quantum argenti quotannis mereris?” “Panem suum,” respondet, “quisque adfert dies.”
Tum argentarius, alterius inscientiam ridens, “Accipe,” inquit, “nummos centum, quos ad usus necessarios serves.” Ille domum redit; nummos sub casa condit et laetitiam quidem suam cum illis. Nulla enim iam carmina, nullus inde somnus, nihil nisi curae, et, viso forte hospite, suspiciones metusque inanes. Per totum diem quasi excubabat; noctu, si quid strepitus fecerat feles, ne haec argentum abriperet metuebat. Tandem ad vicinum accurrit; “Redde,” inquit, “mihi cantum ac somnum. At istos centum nummos, en, recipe sodes.”

998. Dives et Pauper, Iter Facientes

Dives cum paupere iter faciebat. Ille sumptuosam togam gerebat; hic laceris vestibus membra induerat. Latrones in illos subito incidunt. Divitem gladiis occidunt, et veste spoliant. Pauperem interea neglegunt; nihil enim habet.

999. Opulentus et Pauper Frigore Afflicti

Tempore brumali obviam factus fuit pauper opulento bene vestito, ipse pertenue amiculum indutus. Cumque ille effertus pannis, frigus tamen vix ferret, hic autem nullum signum daret frigore se affligi, miratus quo fieret opulentus causam e paupere quaerit. “Nam ego,” inquit,

“dentibus crepito prae frigoris vi, tu autem ne sentire quidem illud videris; ita ingrederis alacriter, et sum tamen ego quam tu multo vestitior.” Cui alter “Nihil,” inquit, “mirum, pro copia enim sua quemque vitam degere oportet. Ego omnibus meis vestibus amictus sum; similiter et tu fac in tuas universas te implices, et frigus facile vitaveris.”

1000. Pauperis Asinus et Dolium

Vir quidam pauper, cui praeter vini dolium et asinum nihil erat, filiam unicam cuidam spoponderat adolescenti, paulum nescio quid pollicitus dotis, quam ex vini et asini pretio (constituerat enim haec venumdare) contrahere posse arbitrabatur. Sed sequenti nocte qua sponsalia facta sunt, asinus obiit et, inter moriendum, fracto calcibus dolio, vinum effudit.

Fabula indicat nullam in rebus caducis spem habendam.

1001. Latrunculorum Ludus

Cum luditur latrunculorum proeliis, rex et regina, pedites et equites, quisque loco suo et ordine munia varia obeunt. At ubi bello ludicro finis impositus est, omnes una capsa promiscue conduntur.

Vices humanas vita variat, mors aequat.

Notes to the Fables

Source: This refers to the printed source used for the text of the fable; see the *Bibliography* on p. 429 for details. The version used here is not necessarily the oldest known version of the fable. See p. 426 for information about how the fables were selected for inclusion in this book.

Perry Number: Where available, I have provided the number of each fable in Perry's catalog in the *Aesopica* (1952) and also in his Loeb edition of *Babrius and Phaedrus* (1965).

Comments: I have suggested fables to look at for comparison, sometimes for similarities, sometimes for differences. The comments have been kept to a bare minimum for reasons of length. If you have questions about a particular fable, please visit the *Bestiaria Latina* blog at **BestLatin.net** and ask!

1. Leo et Canis. *Source*: Avianus 37 (adapted into prose). This is Perry 346. Compare the fable of the dog and the wolf, #99.

2. Leo Iratus et Puteus. *Source*: Desbillons 8.20 (adapted into prose). This fable is not in Perry's catalog; in the Panchatantra there is an elaborate story about a rabbit who fools a lion into thinking that the lion's reflection in a well is a rival lion. Compare the story of the dog and his reflection, #348.

3. Leo Furens et Caprea. *Source*: Camerarius 149. This is Perry 341. Compare the frog's alarm about the angry bulls, #608.

4. Leo et Tauri Duo. *Source*: Syntipas 13 (translated into Latin). This is Perry 372. In some fables there are three bulls allied with one another, and in others there are four, but in all cases the lion is able to "divide and conquer." Compare the fable of the cat, the eagle and the pig, #396.

5. Leo, Lepus, et Cerva. *Source*: De Furia 97. This is Perry 148. Compare the fable of the dog and his reflection, #348, or the story of the goose that laid the golden eggs, #571.

6. Leo et Equus. *Source*: Barlow's Aesop 55. This is Perry 187. For another fable about an unexpected kick in the head, see #71.

7. Leo et Unicornis. *Source*: Sheppey 65 (shortened). This is Perry 645. Compare the lion's attempt to get the bull to set aside his horns, #294.

8. Leaena et Ursa. *Source*: Liber Kalilae et Dimnae 14.143 (shortened). This is Perry 414. In Greek versions of the fable, it

is a wild boar who rebukes the lioness. For a fable about the bear's own hypocrisy, see #130.

9. Leaena et Sus. *Source*: Odo Appendix 3, Fable 25. This is Perry 257. Compare the debate between the dog and the sow about their litters, #343.

10. Leonis Filius et Homo. *Source*: Camerarius 453 (shortened). This is Perry 706. To find out how the oxen became the slaves of man, see #282; for the story of the horse's subjugation, see #269. See also the story of the monkey who got into trouble with a tree trunk, #122.

11. Leo et Iaculator. *Source*: De Furia 323. This is Perry 340. For another story about the human archer, see #154.

12. Leo Amatorius et Silvanus. *Source*: Barlow's Aesop 109. This is Perry 140. For another misbegotten love match, see the story of the mouse and the lion, #209.

13. Leo et Homo, Concertantes. *Source*: Romulus Florentinus 3.37 This is Perry 284. Compare the story of the monkey boasting to the fox, #112.

14. Leo in Stabulum Ingressus. *Source*: De Furia 93. This is Perry 144. Compare the fable of the wolf in the sheepfold, #366, or the man who let a fox into the henhouse, #367.

15. Leo et Pastor. *Source*: Ademar 35. This is Perry 563. The most famous version of this story is found in Aulus Gellius, *Attic Nights* 5.14, where the shepherd is named Androcles (*Androclus* in Latin). For a similar story about a snake and his human friend, see #626. See also the fable of the panther and the villagers, #138.

16. Leo, Vacca, Capra, et Ovis. *Source*: Heidelberg 8. This is Perry 339. For another version of the "lion's share," see #31. See also the hypocrisy of the ruler of the wolf pack, #93.

17. Leo Epulum Faciens. *Source*: Abstemius 117. This fable is not in Perry's catalog; Perry omitted most of Abstemius's fables. For another fable about a mismatched feast, see the fable of the bees and the beetles, #694.

18. Leo et Catus. *Source*: Odo, Fable 35. This is Perry 602. For another story about incompatible dining preferences, see the story of the fox and the stork, #469.

19. Leo et Acies Eius. *Source*: Abstemius 95. This fable is not in Perry's catalog; Perry omitted most of Abstemius's fables. For a story where the donkey is not so well received in the lion's court, see #232.

20. Leo Rex et Regia Eius. *Source*: La Fontaine 7.7 (translated into Latin prose by Fenelon; shortened). This fable is not in Perry's catalog, although it is very similar to the story of the lion's bad breath, #21. Pluto was the god of the Roman underworld; see #900. Caligula was a Roman emperor (12 CE - 41 CE) notorious for his outrageous cruelty and capriciousness.

21. Leo Rex et Simius. *Source*: Steinhowel 3.20 (shortened). This is Perry 514. Cinnamon was an extremely valuable and exotic commodity both in the ancient Greco-Roman world and in medieval Europe, brought all the way from the "Spice Islands" of Indonesia. Compare the hypocrisy of the fox and the cat, #392.

22. Leo, Vulpes, et Simius. *Source*: Faernus 97 (adapted into prose). This fable is not in Perry's catalog, although it shares a core motif with the traditional story of the fox's tail and the tail-less monkey, see #114. Compare also the fable about the tyranny of the eagle, #547.

23. Leo Senex, Vulpes, et Lupus. *Source*: Eton Aesop 70. This is Perry 258. Compare the story of the donkey and the goat, where the goat is unexpectedly made into medicine, #320.

24. Leo Senex, Gemens. *Source*: Sheppey 40. This is Perry 481. For other stories about the old age of the animals, see the old horse in #275 or the old dog in #377. In other versions of this fable a special emphasis is put on the disgrace of being attacked by a donkey, who is a far less dignified opponent than the boar or the bull.

25. Leo Senex et Vulpes. *Source*: Gildersleeve 7. This is Perry 142. For an animal who foolishly approaches the lion not once but twice, see the story of the "heartless" donkey, #236.

26. Leo et Vulpes Territa. *Source*: De Furia 7. This is Perry 10. Compare the story of the people and the camel, #144.

27. Leo Inclusus et Vulpes. *Source*: Syntipas 17 (translated into Latin). This is Perry 409. Compare the story of the kid on the rooftop, #329.

28. Leo Irretitus et Vulpes. *Source*: Abstemius 170. This fable is not in Perry's catalog; Perry omitted most of Abstemius's fables. Compare the story of the lion and the grateful mouse, #208.

29. Leo, Mus, et Vulpes. *Source*: De Furia 95. This is Perry 146. Compare the story of the bull and the gnat, #696.

30. Leo et Vulpes, Socii. *Source*: Aphthonius 20 (translated into Latin). This is Perry 394. For another fable about the lion and the fox hunting together, see #31.

31. Leo, Vulpes, et Asinus Venantes. *Source*: Gallup 21. This is Perry 149. For another version of the "lion's share," see #16. Compare also the hypocrisy of the ruler of the wolf pack, #93.

32. Leo, Asinus, et Vulpes Perfida. *Source*: Camerarius 115. This is Perry 191. Compare the story of the fox who betrays the wolf to the shepherd, #63, or the fox who urged the dog to go chase the rabbit, #172.

33. Leo, Filius Eius, Ursi et Vulpes. *Source*: Romulus Anglicus 136 (shortened). This fable is not in Perry's catalog; Perry was not systematic in his coverage of medieval sources. For a quite different story about the lion and his son, see #10.

34. Vulpes in Tugurium Ingressa. *Source*: De Furia 12. This is Perry 24. In some versions of this fable (such as the famous version in Horace's *Epistles* 1.7), the fox is rebuked by a weasel, and sometimes by another fox, as here. For the wolf trapped by his own swollen belly, see #66.

35. Vulpes et Vota Eius. *Source*: Abstemius 111. This fable is not in Perry's catalog; Perry omitted most of Abstemius's fables. For a different kind of fable about conflicting prayers, see the story of the man and his two daughters, #932.

36. Vulpes et Formica. *Source*: Irenaeus 150. This fable is not in Perry's catalog; it does appear in the *Speculum Sapientiae* 1.10. Compare the story of the monkeys debating about whether to build a city, #124.

37. Vulpes et Uva. *Source*: Yenni 1. This is Perry 15. Compare the hypocritical wolf in #92.

38. Vulpes et Luna. *Source*: Romulus Anglicus 48. This is Perry 669. The fox is fooled again by the moon in the water in #70. For another story about drinking the river, see the story of the dogs and the hide, #349.

39. Vulpes et Statua. *Source*: Camerarius 820. This is Perry 27. Compare the story of the wolf and the mask, #106.

40. Vulpecula et Tintinnabulum. *Source*: Camerarius 377. This fable is not in Perry's catalog; it is a story that comes from the *Panchatantra* tradition, where the fox hears a drum, not a bell. For another story about misleading sounds, see the story of the lion and the frog, #600.

41. Vulpes Sine Cauda. *Source*: Barlow's Aesop 66. This is Perry 17. In some versions of this fable, the other foxes see through the trick and refuse to crop their tails!

42. Vulpes et Maeander Fluvius. *Source*: De Furia 264. This is Perry 232. We get the word “meander” from the proverbially wandering course of the Meander River; Miletus was a Greek city near the mouth of the Meander. Compare the fable of the runaway horse, #265.

43. Vulpes, Vultur et Ostrea. *Source*: Desbillons 10.25 (adapted into prose). This fable is not in Perry’s catalog, although it is clearly a variation on the traditional fable of the eagle, the crow and the turtle, #636.

44. Vulpes et Avis Terraneola. *Source*: Phaedrus, Perotti’s Appendix 6.32 (adapted into prose). This is Perry 557. Phaedrus has given us a folk-name for the bird, “ground-bird,” but this name is not attested in any other source, making it impossible to identify just what species of bird this might be. Compare the fable of the wolf trying to lure a goat down from her place of safety, #322.

45. Vulpes, Corvus et Gallus. *Source*: Daumas 264. This fable is not in Perry’s catalog, but the story does appear in the *Speculum Sapientiae* 1.13. For another story of pretend piety, see the story of the cat-as-bishop, #216.

46. Vulpes Pacem Annuntians. *Source*: Thomas 42. This is Perry 671. For another fable where the rooster is able to see through the fox’s tricks, see #560. See also the wolf and the kiss of peace, #303.

47. Vulpes a Gallo Auxilium Implorans. *Source*: Camerarius 445. This fable is not in Perry’s catalog. The poetic phrase *odora canum vis*, “keen-scented pack of hounds,” is an echo of Vergil, *Aeneid* 4.132. Compare the story of the lion who is indeed tricked by the horse into being a doctor, #6. See also the foolish rooster and hen who take pity on the fox, #561.

48. Vulpes Vincta et Gallus. *Source*: Irenaeus 34. This fable is not in Perry’s catalog. Compare the story of the wolf asking for help from the sheep, #305.

49. Vulpes, Gallus, et Villicus. *Source*: Munich Romulus 28 (shortened). This fable is not in Perry’s catalog. Compare the famous fable of the fox and the crow, where the fox’s flattery does succeed: #437.

50. Vulpes a Rustico Capta. *Source*: Abstemius 192. This fable is not in Perry’s catalog; Perry omitted most of Abstemius’s fables. Compare the fable of the weasel pleading with the man, #193.

51. Vulpes Mortem Simulans et Agricola. *Source*: Spencer 39. This fable is not in Perry's catalog. For another story about the fox playing dead, see #439. For the cat playing dead, see #203.

52. Vulpes Mortem Simulans et Canis. *Source*: Abstemius 146. This fable is not in Perry's catalog; Perry omitted most of Abstemius's fables. The leopard also knows how to play dead, and with greater success; see #140.

53. Vulpes et Taxus. *Source*: De Vitry 297. This fable is not in Perry's catalog; Perry was not systematic in his coverage of medieval sources. The classical Latin name for the badger is *meles*; the word *taxus* is commonly found in medieval sources. You can see the same root in the German Dachs-hund, "badger-dog," because the dog was bred to flush badgers out of their burrows. For another story about the fox's confession, see #228.

54. Vulpes et Mulieres. *Source*: Abstemius 9. This fable is not in Perry's catalog; Perry omitted most of Abstemius's fables. Compare the fable of the wolf and the shepherds, #84.

55. Vulpes et Vir Fluctus Numerans. *Source*: De Furia 403. This is Perry 429. Compare the story of the man waiting for all the water in a river to flow by, #827, or a similar story about a donkey, #220.

56. Vulpes et Asinus Pelle Leonis Indutus. *Source*: De Furia 141. This is Perry 358. For another story about the donkey in the lion's skin, see #234. See also the fable of the wolf dressed as a sheep, #86.

57. Vulpes et Vermiculus. *Source*: Camerarius 134. This is Perry 289. The "Paeonian" was Apollo, the Greek god of medicine. The same story is also told about the fox and the frog, #601.

58. Vulpes et Pardus. *Source*: Barlow's Aesop 58. This is Perry 12. Compare the fox debating with the rabbit, #174.

